Chrysost.
Episcopus [illegible]ocensis.

Jaroslav. Coll. S. J. Sidus primae magnitudinis
seu Agnus Załuscianus.

SIDVS
PRIMÆ MAGNITVDINIS
SEV
AGNVS
ZAŁVSCIANVS

In Infulati Honoris Zodiaco
cùm
EXCELLENTISSIMVS, ILLVSTR. & REVERENDISSIMVS DOMINVS

D. ANDREAS
CHRYSOSTOMVS
IN ZAŁVSKIE
ZAŁVSKI

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPVS PŁOCENSIS
Sacræ Reginalis Majestatis
CANCELLARIVS

Secundam adiret Infulam
à Ducalibus Iaroslaviæ Collegiis
SOCIETATIS IESU
Panegyrico Cultu
ADORATVS.*

Anno in Terris Nati SIDERIS M. DC. XCIII.

* Sanctum SIDVS adora. Æneid. 2.

LUBLINI, Typis Collegii Societatis JESU.

Sunt STELLÆ, Procerum similes. --

Manil. l. 5. vers. 739.

-- -- -- -- -- -- Quem

Resq; domi gestæ, properataq; gloria rerum

In SIDVS vertêre. -- --

Ovidius Lib: 15, Metam ver. 748.

-- -- -- SIDERIS instar

Emicuit. -- -- --

Claudian: de Bell: Get. Ver. 458.

PANEGYRICVS

IN tam inusitata Virtutis, Meritorum luce, præcipuo Generis, Fortunæ, Honoris Tui splendore, non potes nobis nisi PRIMÆ MAGNITVDINIS SIDVS aliquod, apparere, ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE. Invidete nobis Majorum Anni! retroacta invidete Sæcula! iam propinquâ aspicimus tellure, in quod, fastidiosos olim, ipso procul Olympo vultus tollebamus. Iam ipsi nobiscum Superi permutant oculorum officia, dum quemadmodum nos nuper Cœlo illorum, sic ipsi nunc terris Astra respecturi, defiguntur. Habemus quod in se æmulam huc illorum pupillam trahat; dum illis Theatra nostra tam insolitis Virtutum, Originis, Dignitatis suæ cumulatum fulgoribus Sidus exhibent. Omnia istud, Astra illorum, suâ confundit luce, ut nil illis, præ se, nisi solum illorum reliquisse numerum videatur; cùm tamen æstimentur rara non numerentur; & tantummodò illis rebus, quæ nisi multæ sint, carò non venduntur, numeri damnum impingamus; omnibus quoque aliis detrahere putemus, dum tam multæ esse potuerunt, in nullam illarum, Artem vel Naturam exhaustam; viles corniculas non Phœnicem, uno simul nido plures provenire. Aspiciunt ergo Superi terras, & suos huc oculos sentiunt provocatos, ut dubitare incipiamus, suam Empyreum minuerit, an solo nostro, non multùm gloriæ adjectum sit, cùm nos nunquam illuc nisi ad tantam omnium Siderum multitudinem, hoc est, velut totâ priùs cœlestium luminum gazâ, in ipsam Cœlorum

frontem profusâ, arrigamur; nos habere SIDVS, quod ipsi Superûm spectaculo unum sufficit.

Stemma Diœcesis Płocensis D: Sigismundus.

Nescio adhuc ERVDITISSIME ANTISTES, quid esse pronuntiem; DIVVM BVRGVNDIORVM PRINCIPEM SIGISMVNDVM in illustre PŁOCENSIS DIOECESIS TVÆ STEMMA immigrâsse. Gaude VRBS PŁOCIA, in tuos consenti fastus; intelligis novâ Fortunæ tuæ lege indictam tibi superbiendi necessitatem; omnia hodie aliarum fora Vrbium, omnia despicis mœnia, quia omnibus altior evasisti. Cogita Te non ingens accepisse culmen; non ego jam te opinor humili stare loco, sed ipso, quo Tua Te securiùs felicitas, quàm suos Semiramis hortos appendit, summo defigi aere; atq; illic media, quæ Superi nobiscum habent, confinia insedisse. Sic enim ad Te recto pervenit, quo tramite, accitus è terris, nonnisi cœlo ibat SIGISMVNDVS. Credamus illum huc ad Te errore itineris deflexisse; sic verò agnosco qua se ad Te semita explicet, nimirùm qua vel Tu, vel Superi adeuntur. Immo hôc collocata bivio es, ut si à Te, nonnisi ipsum ad Cœlum aberretur. Parce verò, si humo Tua revocem gaudia; quas non supereminet Provincias! toto potior ampliorque es Principatu: Tibi Burgundiam liquit Sigismundus. In hoc cunctæ inter se, certâssent Vrbes, in hoc omnia vel armis vel supplicibus dimicâssent votis Regna, ut aliorum mereri invidiam dignum esset, cui, hic spretis aliis advenisset. Abstinete Cives injuriâ! nimirum hunc, quo degitis loco, Vrbem appellare; cessa ignara vulgi consvetudo, hoc illum nomine, percontantibus de via, indicare; nego enim hîc tantum Vrbem esse, ubi Regnum est Sigismundi. Si non se latiùs adhuc extendit, qui hæc simul capere duo potest; THRONVM SIGISMVNDI, & ZAŁVSCIANÆ SVBSELLIVM DIGNITATIS. Quare rursum assurge Tuo sortis hujus fastigio VRBS FELICISSIMA! Tua ipsi procul inclama Olympo tripudia, quà ex illo ad Te descendit Sigismundus. Quanti autem ZAŁVSCIANVM AGNVM semper

per habeam? non de hoc ex omnibus Honoris Fortunæ Nundinis ſciſcitabor; an non hoc ſatis eſt, pretium illius iam terras noſtras, iam ipſum etiam Orbem exceſsiſſe. Video enim, quanti remoto procul Cœlo æſtimetur, dum video ipſum pro illo huc Sigiſmundum demigrâſſe. Ipſo Rex ab Empyreo ſibi Vellus illius poſcit, quo ornetur in Aſtra, pretioſum præ pectore decus geſtaturus. Adeo putet quicunq; hìc apud vos non ipſâ locupletiorem Colchide Inſulam Honori eſſe, ad quos, ipſo ab Axe, Cæleſti Eridano navigatur. Neq; mihi quisquam illam oſtentet Heroum Claſſem; amplius eſſe affirmo, pro hoc, unum iſthuc veniſſe Sigiſmundum. An etiam ſic illi incidit, innocens illud, cum quo Orbis natus eſt, reſtituere ſæculum, quo Reges gregem in arva ſequebantur, Trabeati, pecoris ruriſq; Coloni; ipſe huc abiit Paſtoritiam ZALVSCIANO AGNO operam locaturus? Facilem hic ſe illi finget in aſſveta imperia, quia Regia; neq; enim ulli diutiùs inſvevit voci, quam Regali, quem IOANNIS III Regia tamdiu tenuit, ut educâſſe videatur. Sed exclamare libet! Feliciorem ZALVSCIANVM Iunoniâ pecude AGNVM, pro quo hic, longè vigilantior illo, Argus excubat. In quæ hic illum deinceps Famæ paſcua non adducet! in quam Regii Sceptri Virgâ non impellet ſylvam Titulorum! Æſtima Te ipſum PRÆSVL MODESTISSIME; Sigiſmundo illinc ad Te commigrante, ipſi iam Cœlo Tua præfertur DIOECESIS. Quæ hæ Tuæ imperandi leges, in quarum Famam ne huc ad Te vellet, fruſtra ipſæ Superûm illecebræ cohibebant. Nuper (inquit) Burgundiæ, nunc Cœli Sceptra pono; alterum exuo Diadema, ut huic poſſim ſubjacere. Iſti ſubeſſe, plùs quam uni Regno antepono. Dic Te igitur ANTISTES FORTVNATISSIME, non Regium Paſtorem, cui ſe Sigiſmundus regendũ committebat. Grande hoc Præſulei muneris Tui incrementum, inter ſubjectas Tibi Oves, Regem quoque recenſere. An non Tu verè dicere poſsis, hâc ex ipſo Tibi Olympo allapsâ, *habere Te Ovem, quæ non eſt ex hoc Ovili.* Scio

autem cur nemo præ hoc potiùs Te conveniat; non unus Te Rex huic inaugurat Dignitati, alter quoque Te ipso è Cœlo legit, ne soli in Te mortalium affectus & arbitria conspirârent. Quàm hoc insolitæ plenum gloriæ! quàm seros iturum ad Posteros! quàm totâ recitandum immortalitate, non Te hîc tantùm, sed ipso ab Axe ad Dignitatem institutum esse; in cumulum à nobis Tibi congestorum, ipso etiam demissum à Cœlo calculum decidisse. Certè nulla hoc silebit Ætas, hoc omnes narrandum sibi Anni tradent subsequentes, hoc nulla auferet oblivio omnium memoriæ Sæculorum; cùm Te sibi Płocensis destinaret Infula, cùm Te omnium illi sortirentur Vota, diu insolitum, nostros vultus, quos & animi sequebantur, spectaculum distractos tenuisse; scilicet Duo nobis, illud è Terris, è Cœlo alterum, conspecta simul Sceptra, quô hinc Te IOANNES III, illinc SIGISMVNDVS, pari nutu, poscenti sibi Tiaræ designabant. Ipse tunc Honor visus sibi in majorem apud Te dignus assurgere fiduciam, quem Tibi gemini Reges commendâssent. Benè est: accipe quod Tibi IOANNIS III, & Suffragia conferunt SIGISMVNDI. Sic non uni placere Regi meruisti; ne tamen dividam, quos nec Virtus, nec regnandi dirimunt arbitria, dicam Te uni Regi, cum dicam, Regi Sancto placuisse. Sed adhuc est, quod huic Tuæ gratuler felicitati, cui hodie Palatinam Honoris Viam ingressuro, pompam augebit Sigismundus. Nil iam de reliquo Tuo interrogabo satellitio; Sigismundum Tibi comitem nosco: satis est. Iactet insolentiùs, si adhuc lubet, Sesostris, quatuor remotis subactos oris Reges, suo Triumphali junxisse Currui; plùs est, unum Te hunc ipso ex Cœlo in Tui Triumpho Honoris deduxisse. Atq; iam, ut Vos pari incertis passu! ut non dignoscendus alter ex altero adestis! nisi nos de Te, Tiara Antistitis, de illo Regia edoceret Corona, quàm pulcher nos diutissimè luderet error! falleretq; volentes falli, nec Te Alterum esse persvaderi sibi sinentes, etiam cum iam persvasum est. Idem utriq; Animus, totâ se facie in eandem

dem

dem explicans majeſtatem; idem, cum illa natus, non conſulens ſibi de gravitate inceſsûs; idem pariq; vaſtitate, curis accipiendis eminens Pectus; toto Corpore ſuis Probitas lineamentis infuſa; ut quoq; ille coactus ſit, hæc ſacerrima Dignitatis Tuæ ſolennia, non depoſito celebrare Diademate, ut, cùm aliunde non poſsimus, Te ex iſto diſcernamus. Certè ſi Tu Coronam, Ille Infulam ſumeret, Ille ZAŁVSCIVS, TV eſſes SIGISMVNDVS; Teq; pro illo, Cœlis venturo, illum Aſtra putarent rediiſſe. Adeo cùm nullum inter Vos ſit, ſolum diſcrimen penes Veſtræ remanſit inſignia Dignitatis. Sed cum Sigiſmundum deſeruiſſe Polos,adventaſſe Terris aſpicio, revocat ſibi animus deductos olim Stellâ Reges, (quòd minor fax in tam longinqvum iter non ſuffeciſſet;) hanc verò purior lux, maiorq; ſplendor illi Aſtrorum populo eximebat; tota, in illam miraculo genitam Natura defecerat, nilq; illa huic præter ſolam ſui admirationem debebat. Quod ergo Te quamq; Prodigioſum Infulati Honoris Zodiaco Sidus proclamabo! ſic enim Tu non ex remoto tantum Oriente, ſed ex ipſo ſupremo huc Cælo, Regem hunc adduxiſti. Empedocles olim tam cupidus quidpiam videre, quàm etiam cupere indignus, magnis quotidie votis conducebat Mortem, peſsimo quoq; cum illa paciſcens ſui exitu, ſi illuc abire permitteretur, ubi aliquod ex Cæleſtibus Aſtris è vicino poſſet intueri. Dicam:Te nobis hîc Fulgidiſsimi Sideris inſtar exorto, SIGISMVNDVM, ſanctiùs atq; illum, huc Tui è propinquo aſpiciendi deſiderio, exarsiſſe. Datumq; illi eſt venire propiùs, deſcendere, haurire lucem, & comparare cum illa, quam in tot Aſtris deſpexerat, per illorum ad Te confinia exeundo. Fruſtra eſtis! (dicebat iam Aſtrorum iter ingreſsus, dum cuncta ſibi adverſis emicantia ſtationibus cerneret) fruſtra eſtis! non huc ulli veſtrûm veni, alicui alteri longiùs eo Atq; (cùm omnia illi circumfunderentur,) fruſtra Te mihi Pulcherrimum ſed uno inferius illo Agmen monſtras; non hîc ulli Veſtrûm hæſurus; quàm amæniùs illo ridet humus! illi ibo, ſe-

quarꝗ non solis desideriis, adero; dum nullum horum omnium, sed illud Vnum, plenam meis oculis aspiciendo satietatem pollicetur. Auditis hoc Superi? nec utiꝗ vobis temeraria jactamus, iam effulsiisse terris, in quod ipso migratur ab Axe, raram in tanto SIDERE nostro spectaculi gratiam, qvalem in nullo omnibus Astrorum regionibus, reperturo.

Atꝗ ut huc Tua se referat Panegyris, unde nostra cæpit felicitas; needum nobis blandiri satis possumus, cùm aliquando iam nasciturum prospiceremus, eò obfirmatam in horas omnes tenuisse solicitudinem, ne nos falleret momentum illud, quô Tibi primis suscipiendo amplexibus parabamur. Itaꝗ dum in hoc quotidie demeremur Superos, Templa sacrificiis, sacrificia votis cumulamus, dumꝗ in ipso, Numinis Sacrario, inter Altaria Divorumꝗ Imagines, promissum Cælo Pignus præstolamur tunc planè cùm instituto pro Te libamine, Sacra sublimè attolleretur Hostia, prospero emissus partu ad fuisti. O Te INFANTEM FELICISSIMVM? quem unquam par nascentem Fortuna excepit? quem in ipso mundi limine, paria salutationis officia occuparunt! Quamvis singula memorare nolim, an non ita de cunctis abundè insinuem? Te ingredientem Terras, statim [quasi nec differri tanta de Te posset lætitia, nec minor esse deberet,] statim inquam ab omnibus, ipso cum Numine salutatum. Vtiꝗ, vix Tu adesse, cùm idem Tibi, quod tunc Supremo DEO Æs pulsari Campanum, ijdem per Aras Tibi huc deducendo ignes collucere. Vix non horrore quodam suscepta de Te nobis gaudia excussisti, nil minus Tibi Tuo in adventu, quam illi ipsi exhibentibus. Fecisti quoꝗ trepidam Pietatem nostram, ne cùm illi sursum porrecto, nostri se vultus humo sternerent, Tibi, quodam sacrilegio, Ipsius usurpare cultum, videretur. Intellexit tamen subitò, seꝗ ipsam sui apud se suspicione absolvit piaculi, nimirum, illum eundem, hoc sanxisse tempus, ut aliquando sui tecum in terras ingres-

Sub elevatione Hostiæ in Sacro, quod pro illo feliciter nascituro habebatur, in lucē editus.

sûs,

sûs honorem partiretur. Certè ſi a nobis ſibi Tibiq; ſimul occurri vellet, cùm non decerneret eadem, deſtinatæ ſibi ſalutationis officia ſaltem dividebat. At verò neq; Noſtra ex Te Fortuna altiùs, quàm illa Cæleſtis Myſterij Orbitâ eluctari poterat; nec animis omnium lætior majorq; affulgere dies, quàm Euchariſtico Sole ſuam in augem elevato. Quæ non tunc omnibus de Te fervere tripudia! quô non, felicia quæquæ ominandi æſtu, mentes incaleſcere! Non uni hanc excidiſſe vocẽ audivimus: libero vos Aruſpices Augureſq; onere grandia de illo vaticinandi! altior Nobis de illo fides ingeſta eſt; Deus ita ſe toto, nil non in illo ſublime pollicetur. Tantum [monſtrat ipſe ab alto] tantum Orthodoxæ Eccleſiæ inferet Virum! tantum Aris Præſulem exhibebit! Immo jam nunc illius documentum magnitudinis accipite; tam procul ipſas etiam excrevit Aras! jam illuc ſupra has ſuâ pertingere ſtaturâ, Albo hoc à Numine Calculo adnotatur. Deus ipſe nobis indicat, nonniſi ad præcelſa, ipſis ex cunis à ſe deſtinari. Quod ille deinde faſtigium non adibit, iam nunc ſibi viâ in altum præmonſtratâ! Immo cùm hunc Deus illius ſublimitati Candidum addidit Calculum, ſperate futurum, nonniſi EMINENTISSIMVM. Sub illo deinde, ut non fertilior nobis quam ſub Saturno meſsis inferetur! quàm non ipſe nobis famem eximet, ſub quo vix nato, ita ſtatim in ſublime Divina Ceres aſſurrexit! Sperate; cuncta in terris admiranda daturum, qui ſine Altiſsimo Myſterio neq; naſcebatur. Ne adhuc aliquod huic omnium Compendio Mirabilium deeſſet, hoc illi Vnicum Virtutum Prodigium addi debuit. Nos quoq; hinc iam aſſequebamur Tuorum in Superos meritorum auſpicia; ſcilicet iſtud, quod nunc Te naſcente eveniſſet, ſemper deinde præſtiturum; hoc eſt, omnem vitam Tuam reliquam, perpetuam Numinis futuram Elevationem. In hoc utrâq; allaboraturum manu, ut Deus ipſe, Dei atq; Eccleſiæ Gloria ſemper altiùs provehatur; per Te Fidem Orthodoxam quotidie novum ubiq; æſtimationis ſuæ culmen accepturam. Atq; iam

Tibi quodammodò, Deus ab alto, suorum Atlanti Mysteriorum, omnia simul, cum Orbe Eucharistico imponebat; quòd nemo, illa, Te uno securiùs, ne ulli deprimerentur, sustineret; vel quòd nullus, ad invidiam Hæreseos sublimiùs promoveret. Sic etiam, velut quod promitteretur, iam evenisset, iam tunc quôdam velut exultantis gestu, Sacramentum Maximum sua ab Ara in altùm elevari. Verumtamen quàm hæc festinata erga Te Numinis ipsiùs officia! haud credebamus, Te, quæ misera omnibus nascendi sors est, Filium Iræ in lucem prodiisse, qui ad illas tunc quodammodò vocabaris Angelorum Delicias, quæ nulli hominum, sine Dei amicitia adeuntur. Iam reconciliatum Tibi suspicabamur Numen, cùm Te ad Mensam suam, & Convivium invitaret. Velut ipsa Tibi Nutrix Gratia colluderet, quòd ab alto, Tibi, monstrato Pane Dulcissimo, Tuos illi gustus irritabat. Sic est; nil nos ex his Tuæ argumentis Innocentiæ, de Te, iam tunc quale de alijs, animo inducebamus; nisi Tu, Te attulisse Tecum quidpiam, quod lugeri dignum est, non tenendo ploratum, prodidisses; non exile verò aliquid illud, quod tantis nec eluere, nec ullis, quamvis fleres assiduò, posses lachrymis deprecari. Attamen, o insolita Tui, ipso tunc a Numine tutamenta! si quid contra Te primævæ reum noxæ minaretur cælum, Ipse, Te, suo elevato in altum Eucharistico Clypeo protegebat; illud Tibi iratum, Se Ipso porrecta placabat in Hostia. Sic Tibi cùm offendi cogeretur, illum testabatur amorem, ut quoq; ne tunc Tu plectereris, pro Te voluerit immolari. Ipse, ne quidpiam in Te, cùm tam criminis primogenij, quàm infantiæ nexibus adstrictus resistere non posses, admittere auderent, adversas depellebat àére potestates. Tollebatur in altùm, ipsas Tibi in primos anhelitus Tuos, auras consecrando. Assurgebat, quasi innocentissimis lachrymis habitâ reverentiâ, omnia, quæ istis, cùm non posses aliter, exposceres, ex sublimiori loco excepturus. Illinc, quod Tuas stiparet Cunas, Vigil Cælestium Geniorum Agmen evocabat. Ascendebat, ex Supremo Cælorum Ga-

zophi-

zophilacio elaturus, quod Tibi ſolenni genethliorum munere dedicaret. Omnibus proponebat Cælitibus, quis, ſuum Tibi impoſiturus nomen, Tui patrocinia ſortiretur. Ipſe, Te terris collato, aſſurgens velut donum inſolitum mirabatur. Abſcedebat humo, iſto à ſe dato inſignem munere diem, ſupremâ Olympi parte, aut Te ipſum, æternis Electorum Codicibus inſcripturus. Sed dicam: ipſum ab Ara ſurgens Numen, & ſupra Flaminis caput elatum, Te, in toto præſentium agmine veſtigabat; atq; ſe illius eripiebat dexteræ, quòd jam non ipſo Altari ſed Tuo mallet Corde, Tuoq; Sacerrimo reponi Pectoris penetrali. Dicam veriùs: jam jam Te, natum in terris SIDVS, in illam cælorum evocabat lacteam; non quomodocunq; cupiebat, ſed ipſi Zodiaco, hoc eſt ſplendidiſſimæ Aſtrorum Faſciæ involutum. Verbo: illuc porrigebatur, Te noſtro elatum ſolo, Primæ Magnitudinis SIDVS, ſummo ſuper Axe, defixurus. Et jam præſtiterat niſi illius intereſſet, inter tam profanas ubiq; umbras, obſcuram ſæculi pietatem, à Te illuſtrari. Interim tamen illuc elevabatur, propiùſq; veniens, cedere Tibi jubebat ſtellas, quòd Tu, niſi illis viciniùs ſibi ſtipatis, atq; relicto Tibi à pluribus ſpatio, nunquam totus Olympo inferreris. Sed timeo vobis Stellæ Aſtraq;! ne aliquando plura veſtrûm extingui, aut ipſo deturbari Axe neceſſum ſit, ut hoc SIDVS noſtrum, parem illic ſibi, quò collocari totum poſsit, locum nanciſcatur. Iam Terra, quamvis gelidâ hyeme ipſaſq; inter nives, ceu mediâ ridere æſtate, nos in gratulationem ſibi partûs inſoliti, urgere; nos tamen diu reſiſtere, continuò ſuæ illi lætitiæ ſuperbiam elidere, quòd nunquam Te illi acceptum referremus. Potuiſſe quidem illam (ajebamus) ſub Aquario largè irrigatam, grandium unionum, gemmarumq; maximarum, ſed non tanti SIDERIS, fecunda accipere viſcera. Ergo cùm hîc nobis ſereno Auroræ crepuſculo illux iſſes, putabamus, poſtquã hæc Soli appropinquanti omnia Olympo ſubmoviſſet Aſtra, Te unum ex illis relictum, quod nec ipſius Phœbi luce vincereris. Aut certè

Natus Ianuario Mẽ. ſe die 17 ſub Auroram.

quo-

quoties nobis in fasciis monstrabaris, opinabamur ipsum Ianuarii Sidus, cælestem Ganymedem, se illis involvisse, nisi Te intuentes, talem fateri cogeremur, qualem nec fabulæ fingere potuerunt. Ita Tu

a Infans, corusco Sidere pulchrior,

& jam tunc quidpiam præ aliis magnum, quia ZALVSCIANVM effulgere.

Insitus mortalibus error, nullum putare Genus magnum, nisi antiquum; vetusta laudant; quisq; nesciri de se, quando cæperit, iactat; hoc primum inter sua memorat, non posse omnia memorari. Cuncti celebrant, fuisse cùm adhuc Fama esset muta, antequam nasceretur ipse Rumor; cùm non esset, à quo possent celebrari; extitisse ante Fastos, prævenisse Annales; vixisse, cum ageretur historia, non scriberetur. Proferuntur ante heri natum nepotem codices, innumeris, velut sacri, involucris abditi, & quasi Numen exhibituri, lentè, quâdam tractantium Religione explicantur, & ecce in his alicuius ante Inachum character, priscam Gentem, & antiquiora sæculis nomina adnotavit; multa pulvis obruit, non pauca tineis erosa, illa tamen parvo Ascanio, quæ vix jam leguntur dimidia, ostenduntur integris potiora. At verò ô grande cognomentum, quia pridem Annalibus adscriptum! quod, si nondum Vetustas & Tempus ipsis cum paginis discerpserunt, totum hodie aliquot pulvisculi tegunt. O ingentem titulum quia antiquum! qui tot sui partes, in exigui vermis dente requirit; nunquã breviùs tenui in acu, quàm ab isto periisset. Fateare tinea! Te illi pepercisse; si adhuc semel terebrare voluisses, nil jam illius superesset; totus jaceret illo vulnere, quod vix aspici potest; atq; illo, quà Te exeuntem difficulter transmisit, cecidisset angusto aditu fossuræ, subter quam immensum oblivionis barathrum est. At Tu PRÆSVL Sapientissime, non tantùm illa judicas attollenda, quæ diu jacent; scis suum esse auro pretium, etiam quod hodie effoditur; bonam esse etiam Gentis line-

am,

a Claudian: in nupt. Honorii.

am, etsi ostendi possit, ubi dum incipit, desinit. Hæc tamen non ideo afferimus, quasi quæ in Tuis sunt laudabilia, tantùm sint hodierna; ultra Annos estis ZALVSCII, non mensibus tantùm & diebus, sed ævo quodam Nomen istud consenuit. Habemus illud in antiquissimis voluminibus non tamen id hodie coram Te in illis quærimus, quia nusquam pulchriùs, quàm ex Te legi potest. Neq; etiam sepulchra magnorum pulsabo Quiritium; non frigidos in solem educam è tumulis manes, non Te stipare jubebo, ut inter illos, jam ipso fato suo diminutos, grandior aspiciaris. Immo quanquam illos suæ, etiam à morte, relictos magnitudini, tuetur Virtus, non tamen, in hoc, Tibi sepulchris adesse imperabo; Te si statuam solū, magnus es. Cùm & Cedrus & si non inter plures, alta sit; nec mons quicunq;, unus campo decrescat; singulæ etiam possint ædificari turres; immo illa sint maxima, quæ ut talia fateamur esse, haud egent cum aliis priùs comparari. Et Tu certè emortuam laudem putas, quæ tantùm è sepulchro venit. Rides, qui laudari non possunt, nisi aliquo ipsorum laudantium miraculo, hoc est, nisi ab his, sui illis Antecessores è tumulo suscitentur. Tua his Apotheosis non eget; statim creditur Tuorum, quia tam insolita, prodigiis operum, ut illis, cælo inferri & recenseri inter Astra merearis. Ergo neq; Tibi Tuorum effigies Majorum exhibebo; scis maximos esse & si non pingerentur; immo infantibus simillimos putas, qui nimium afficiuntur imaginibus, etiam Antecessorum suorum. Sed affundamne tamen calamo Sanguinem, nec fontem illius propinabo? Quis quantusq; ILLVSTRISSIMVS PROGENITOR TVVS? huius nisi meminero, tam magnum admittam flagitium, quàm magnum est Nomen ALEXANDRI. Tacebo tamen Virtutes illius, quarum hodie, pleriq; mortalium vix nomen retinēt, cùm illum Cœlites, in istud velut, nostro destinârint sæculo ut Virtutes aliorum animis exclusæ, leviùs id ferant, cùm uno illius omnes conquiescant.

Illi amor boni Publici,qualẽ Cato, moderatio qualẽ Curius & Camillus, Religio Pietas, qualẽ Numa, præ se, illi potiorem esse faterentur; ipsi quoq; suum post funus plorarent, istum sibi non præiisse, ne illis exempla defuissent. Vnam illis addam Iustitiam, quæ ILLVSTRISSIME DOMINE, TE IVDICE visa est rediisse in terras; quòd nulli posset tutiùs, è propriis gladium suum, quàm in manus ipsius conferre Alexandri. Vidimus vidimus, nullum Tibi, intricati juris, Gordium etiam occurrisse nodum, quem non statim illo explicares. Ita illum quoq; fortiter tenuisti, ut nullæ eripere Tibi, potuerint integræ quantumvis phalanges Vitiorum. Quanquam Tu illum tantùm efferre, cùm omnia statim Crimina pallere, abscondi, imò, quòd se tuta non putarent semel fulgore illius perstricta, ultra Thulen, vel remotam elabi in Persiam; si tamen hic se quoq; secura Te Iudice credebant, ex qua etiam Darium pepulit Alexander. Ergo tunc communia Tibi & Iustitiæ vidimus arma; aut si illa suum Tuo permutârat ensem, tamen discernere non poteramus, an unus esset, quanquam duos videremus. Sed gaudemus posteri, tot mundi sæculorum fortunam hâc unâ vincentes; tunc enim, quorum singula, divisæ nonnisi & infinitis sepositæ annis ætates Orbi exhibebant, nos simul, Par Præstantissimum, eodemq; in terris, tempore; IVSTITIAM & ALEXANDRVM aspeximus. Quid quoq; Magna illa TVA PROGENITRIX, Magni Germana Primatis CATHARINA OLSZOVIA in Te non magnum primumq; protulisset! Non illa utiq; suo ablusit Nomine; nisi quod dum & altero, pauperum Fortuna tam verè erat, quam vocabatur, integrâ pingi cum rota meretur, cùm se tot ab illa in eos beneficia, citiùs quàm dare rogaretur, evolvebant. Dicam, habuisse supra Catharinæ cognomentum, quòd illi, primùm ante mortem, huic tota in vita lac affluebat, quale in mores suos niveos vel ex Cæli lactea, vel in egenos ex ipsius Munificentiæ uberibus derivârat. Addo nihil[a] Romana Pietate minus in illa admirandum; non semel & ipsam Ma-

Vir in tantùm laudãdus, in quãtùm intelligi Virtus potest. C. Vell. Pat. l. 1.

[a]. *Filia matri in carcere, cùm alium inferre cibum non posset, ubera præbuit.* Val: Max.

trem

trem suam Ecclesiam, Optima Filia suo aluit lacte, hoc est, dote suâ non semel ditavit, ornavit; & cùm hanc ita totam illius profunderet egestati, adhuc ipsum lentæ Tyrannidi suum optabat pro illa cruorem omnem exsugendum. Mediâ hyeme obierat; vel ut telluris pertæsa, nivium viâ, citiùs in Cœlum perveniret; vel ne in ipsis arboribus aspicere cogeretur similitudinem nuditatis, quâ nil minus in egenis, ubicunque illi occurrissent eos tegendo toleraverat. Ipso Mense Decembri; ut præ sinistro illo [a] Hædo, ZAŁVSCIANA OVIS Olympo inferretur; quòd plùs quàm semel meruerat illic radiare. Quàm verò ubique Sanctimoniæ illius insistens, Divam etiam in morte assecuta Catharinam! ut vix hanc uno citiùs [b] Mense in Cœlum illius rota præveniret. Die Virginis sine labe Conceptæ; quòd nullam hinc secum efferret maculam, & ipsas tunc brumæ nives, illibato iuxtà obitu ac vitâ suâ superaret.

Sed an non ingrediar quod se mihi ingens Avitæ Nobilitatis pandit Atrium? Equidem reverentiæ è longinquo, profanum pedem, limen Sacrum admonet, sed sequar Generis Vestri Gloriam, mihi ut semel intrem hodie annuentem. Vt per varias Stemmatum effigies ducit! quibus colorem Sudor, Sanguis miscuit; Mars, Fortitudo, gladii pinxit penicillo.

CRVCES
OLSZOVIORVM

PRVS 2do, seu Semigemina CRVX supra duas avulsas manubrio FALCES.

Vides,
Tam semper præclarè se gesserant;
ne Numina crederentur,
non unum in Domo illorum [c] SIGNVM HOMINIS poni debuit.
Quàm quoque hæc Imperatoriâ forte major!
Cùm vix una remoto è Cœlo se monstret Constantino,
Hos etiam gemina Crux tam propè est;
ut familiares Religioni scias.

D Vt

a *Decembre, Caper in Zodiaco.* b *nam in Novemb. festa illius dies.*
c *Cum apparuerit signum Hominis id est, Crux.* Matth.

Vt grandem ſemper de hoſte referebant Victoriam!
cui, illis prænuntiandæ, ſatis una Crux non erat.
Quid iſtorum Nobilitate felicius!
quod, in Mortem DEVS ipſe, ferendum ſibi Decus diſtulit,
his cum vita confert.
Ad Triumphos, humanis majores; progenitis
DEI ipſius Trophœa proponuntur.
Diſcunt è Cunis, Poloni Orbis redemptionem.
Gemina Crux, utriusque Poloniæ Redemptoribus;
nam & illi toties Libertatem Noſtram aſſeruerunt ſangvine.
Ne non citò ſe multis pro Republica ſuſtinendis devoveant malis,
vix nati, duplicem Crucem amplectuntur.
Aliis unam pro Patria detrectantibus,
hi ſibi geminari petunt.
Hinc etiam eſt quòd alteram infra dimidiatam aſpicis;
quòd continuò illis portantibus, attritæ ita non parum deceſsit.
Vltrò ad illos Divinum feſtinat Decus;
Cùm illis aliquando una ex Aſtris Crux offerretur
retineri non potuit altera,
ne, quamvis parte ſuâ abreptâ, ad illos properaret.
Aut ſi utraque data illis integra
tam ſe adamato illorum lacerto altè imprimens,
extrahi non admiſit;
ut [a] Seleuco feliciùs
ſuo ANCHORAM SALVTIS circumferrent in brachio.
Superior, alteri invidens Cruci, quòd hæc ſola incumberet,
frangendam optavit,
ut & illa deorſum ſe, attingendo promoveret humero.
Attamen gaude Polonia!
Hortum Libertatis Tuæ, Paradiſum puta
cùm in illo LIGNVM VITÆ eſt.
Ipſi etiam OLSZOVII gaudete!
huic Geminæ Cruci, ne unquam recedant à Vobis
Virtus & Honor affixi ſunt.
O Viros PRVDENTISSIMOS!
Vnicuique plus quam [b] MVNDI IVDICIVM eſt.
Quid non eruditionis decerpant
ex geminata SCIENTIÆ ARBORE!
O illos de Superis bene meritiſsimos!
Quibus duplex COELI CLAVIS conceſſa,
ut ſeu ab Oriente ſeu Occidente veniant,
illud ſibi poſsint reſerare.
Dum verò etiam aliis toties illud recludunt,
iam unam longus beneficentiæ fregit uſus.
Vos ſoli timete Turcæ!
apud Iſtos eſt, quod Vos non ſemel cruciat.
Habetis hîc quod Vobis cum Romanis vereamini [c] canibus.
Iterum trepidate Odryſii!
Si harum alteram, Rhodope, alteram veſtro Caucaſo
defigant Crucem
utrobique funerum veſtrorum Golgotha erit.
An ſic ipſis gemina hæc OLSZOVIIS ſtatuta eſt?
Nempe ituris Cœlo tantâ

a *Natus cum expreſſa in humero Anchora.* b *Chriſtus inſtante Cruce: Nunc eſt judicium mundi. Ioan.* c *quos Roma quot annis cruci addicebat, quòd latratu non prodidiſſent, Senones Capitolium noctu invadentes.*

tantâ virtutum gravitate ferendis
bina illis SCALA poni debuit.
An immolari pro Patria paratos
una Crucis Ara totos non capit!
quadrifariam ſtrui debuit,
non quidem quot Centimanus;
ſed quot ad præclarè quatuor in Mundi partibus agenda ſufficiunt,
totidem manus habentibus.
Quòd vero & GEMINAS FALCES vides,
plures hîc quam unum Saturnum,
plura quam unum Aureum Sæculum cogita.
In tanta hic meritorum continua ſerenitate
perpetua Æſtas nihil in menſem præſtolatur.
Omnia ſtatim Auguſta
Omnia matura falci.
Tanta hîc ſemper Patriæ emolumentorum meſsis,
ut falx una non ſufficiat.
Plurimis pro Patria exatlandis laboribus addicti,
unâ nunquam contenti
ſinguli in Martis, Virtutis, Gloriæ Campo
duabus ſimul falcibus laborabant.
Nunquam ad uberem palmarum meſsem tardi adferant;
Cùm falces ſine manubrio ſint
adeo in Triumphale opus feſtinabant,
ut illud ferro ſuo conſerere obliviſcerentur.
Quòd illorum manibus tantum longus labor callum induxerat,
nihil, quamvis iſtud ipsâ prehenderent acie, ſentiebant.
Vnde hæ illis obtigerint Falces, quæris?
Puta non unum olim Curium Dictatoremque Camillum
cùm poſt bella, ſuo hoc [a] Triumphales Viri ruſticarentur agro,
atque iterum in hoſtem vocarentur
hîc illas reliquiſſe.
Si non & Martis ſunt;
qui cùm per limites Patriæ tantâ Civium ſtrage falcato provehitur curru
hi falcibus illi ademptis innocentiùs vehi docuerunt.
Plaudite Vobis OLSZOVII!
Ne timeatis Libitinam, gemina Vobis contra unam illius, Falx eſt.
Si & Tempus illi accedat ſuam contra vos vibraturæ,
totidem vobis ſunt, quibus contra utrumque dimicetis.
Si non hæc gemina vobis, quia utrique iſtorum, recepta eſt?
Aut quòd cum Tempore, incrementis meritorum paciſcamini,
illa vobis adverſa exierat;
video quid apud vos amiſit;
unâ Morti excuſſâ,
cùm alteram inſtaurando attulit duello
utramque illi Falcem rapuiſtis,
hoc eſt, quô, utroque ſævit in Orbe, hîc Telum perdidit,
Iam & omni avulſiſtis manubrio,
ne ſævo uſui reſumat.
Vobis ſuo Bellona ex Armamentario iſtas porrexit.
Vt his ceu fenum agreſte Turcarum procumbebant Capita!
Nullus vobis herbam porrexit hoſtis;
antequam ſuas humo manus tenderet,

 has

a *Lat. Pacatus in Paneg. Theodos.*

has quoque cum illis metebatis.
Cùm verò Falcibus Cruces superponuntur,
supra omnia, quæ pleno Fortunæ inferunt horreo
Pietatem volunt eminere.
Ne inermis sit Religio,
gemino illam obarmant ferro.
Porrexerunt illi falces,
quibus, quà incedat, utrinque omne contrarium germen subsecet.
Cùm demum pars Cruci decussa,
quisquis fuerit, cujus hoc impia patravit dextera,
hi injuriam non ferentes
gemino ulciscebantur ferro.
Tamdiu autem vindicâsse puta,
donec Falcibus manubria vel adverso ictu excussa,
vel illis Zelo totis flagrantibus, ipso ardore etiam manuum deflagrârunt.
Dixeris tamen, mutilá Cruce, Falces quoque suas truncatas;
Omne illis, si quod Religio patitur, aliud leve detrimentum est.
Sponte Falcibus abripuerunt manubria;
ne quidpiam hæ haberent,
quo videri possent mutilatâ Cruce altiores.
Gloriare tamen Religio, damno Decoris tui sarcito!
non ullæ tuam Geminam CRVCEM gemmæ
pretiosiùs, quam hoc additum illis SIDVS, adornaret.
Quodsi aliquando Orbe finiendo
unâ Cruce omnia a obscurabuntur Astra;
quis huius splendor Sideris
si, ad binas quoque, micat clariùs!

Quàm hîc Tibi adhuc PRINCIPIS OLSZOVII lineâ, & à Cruce regnantibus meritis, laudum deducerem Familiam! quos, geminâ hac sub FALCE Gloriæ manipulos illigarem? Tanta hîc virtutum ubertas semper fuerat, in quam Profana suam, Sacra alteram Dignitas falcem immitebat. Sed cogor in alia.

STARZA seu ASCIA, ferramento Argentei coloris, in quo etiam Luna media; manubrio aureo.

Præ qua ASCIAM cernis,
in hac Domo magnæ Artifices Gloriæ & Nostræ Fabros Fortunæ cogita.
STARZA appellatur;
Totam in nomine Antiquitatem circumfert.
Si tantùm de illa innuas, tota Tibi recurrit Vetustas.
Sic tamen hoc illi Nomen adhæsit,
quòd non nunc primùm in Patriæ commoda laboravit.
Nullum Sarmatiæ, istô, antiquiùs laudis suæ Instrumentum.
Hæc in Premislai Sylva, arbores decisis frondibus,
ferendis in hostem armis aptavit.
Si non & altiùs sui senium cognomenti repetendum est;
Aureo cum sit Manubrio
adhuc illud aureo meruerat sæculo.
Aut certè jam illo extiterat,
quo, Midas quidquid attingeret, auro mutabatur.
Cùm Libertati, auream, qualis ipsa est, laborâsset Ædem,
residuum, pro ligneo, illius pretioso impensum manubrio est.

LVNA

a *Tunc apparebit signum Filii hominis &c. Sol obscurabitur, Stella &c.* Matth.

LVNA illi impressa fulget;
Iam Arcadum Temporibus fuerat,
aut ipsa cæpit cum Luna.
Contra Romanos decertans,
omnibus acie succisis,
alicui illorum detracta pedi a Lunula
in Nobilissimi memoriam triumphi,
in illa collocata est.
Aut si dixeris hanc esse
quæ olim Iovis Capite eduxit Palladem,
nulla veriùs STARZA vocabitur.
Vtique adhuc in Minervæ natali,
quâ, aureo illius imbre permaduerat,
hâc sui parte, illius colorem servat.
Cùm jam opere exacto, illi in cœlo usus non esset,
Istis illam Vulcanus statim Olympo extulit.
Postquam huic gestata, & Iovis extracta vertice,
non debuerat, nisi ab his,
qui etiam quædam terrarum Numina sunt, asservari.
ut verò hos Deorum esse Cœlestium Consanguineos testaretur,
cum ipso illam Iovis sangvine porrexit.
Hactenus unam aspicis;
altera hucusque talis nullâ officinâ exiit.
Inimitabilis Deorum labor,
et quidam in terris omnium Instrumentorum Phænix est.
Quereris? nulli colligatam Lauro,
omnes, ex illa ipsa, noscuntur triumphi.
Hos si tamen scire cupis,
aspice! circumquaque integrum Lauri nemus jacet;
quod, una succidit.
Hactenus assiduò illam,
vel Iustitia in reorum, vel Mars in hostium jugulos vibrat;
dum ita semper in gloriosi operis motu est,
nil adhuc illi circumligari potuit.
Quanquam summum illa suum ornamentum putat
nunquam præclaro vacare labori.
Securis hæc, Reipublicæ securitas est.
Cùm contra nos Othomanica Luna sua adigeret cornua,
hæc ita pro nobis * assurgens, * cùm stet erecta.
hâc in se ruentem parte accepit.
Quanto verò, illa in nos admittebat impetu
si ferro infixa necdum extraxit!
Hæc sola toties Ascia
totam excidit barbariam.
Aut feretrum Turciæ struxit
supremo funere ab Orbe efferendæ.
Nunquam hactenus præcidendis Barbarorum cervicibus hebetatur.
Quisquis Turcarum es qui istud non credis!
adsit Vesyrus, & ipse veniat Amurathes probaturus aciem,
integros adducat exercitus;
absque inerti Caligulæ voto omnibus unam cervicem optantis,
hæc, singulis sufficiet jugulis singulorum amputandis.
En quoque infixam illi dimidiam Lunam;

 nimi-

a Romani signum Nobilitatis Lunulas ferebant in ocreis.

nimirum nulla hâc altiùs pertingit,
Threiicium Astrum in ipso secuit plenilunio:
valido illi impacta ictu, Luna Turcica, non ipsa dimidiata est.
Quodsi tamen acie remittere putes,
ipsa illam Victoria totâ Carpathi rupe acuit;
vel Fama perpetuæ laudis cote subigit.
Audi jam: cui auro refictum est manubrium,
hæc Ascia, Tenedi [a] Regibus pro Sceptro gestari debebat.
Adde: cum in illa Luna effulgeat,
quoties Cœleste Capitolium, cum Diis consultaturus adit Iupiter
ipsa illi inter Astra præferri posset.
Sed cum STARZA Nomen habeat
perpetuo victoriosi laboris usu consenuit.
Audite omnes Polonorum Officinæ Cyclopum!
STARZÆ, hoc est vetustissimæ debetis venerationem.
Vel certè ab hoc sene Instrumento,
omne imbelle Lechicæ Iuventutis ferrum
disce ferire, disce Turcica resecare colla.
Adhuc: quisquis hanc mediam aspicis Lunam,
semper hîc illustrem meritorum cogita plenitudinem;
sed quantum hoc SIDVS nostrum
quod fulgore suo, tantam illius partem intercepit!
Vel si Cynthiam omnes cingunt Stellæ
sui luminis securam;
quale hoc ASTRVM ad cujus illa splendorem
tam parùm nonnisi, toti suæ eclypsi abest.

Hîc etiam quot hâc KORICINSCIORVM atq; TĘCZYNSCIORVM ASCIA, in sublimibus Famæ Colossis excisos tibi legerem titulos! illos multa hactenus sæcula in tot summorum subselliis honorum adorârunt; illi adhuc tot Palatinorum Castellanorum ubiq; celebratione, totam Posteritatis memoriam, ipsius Æternitatis aures, occupabunt.

CYGNVS DVNINORVM

[b] *Candore notabilis ipso*;
Aut illum Tres Gratiæ suo laverunt fonte;
aut Cœlesti emersit Lactea;
aut talis ex ipsius Innocentiæ cavea evolavit.
Omni hactenus nævo intactus,
nullam nisi colludentis sibi Candoris manum admisit.
Hinc est quòd albo semper plumarum amictu;
quemadmodum Romani Consules Triumphaturi incedebant:
Nam illius quoque vox toties Patriæ consulentis salutaris fuit;
et triumphat quotidie de maculis omnibus à se superatis.
utique hactenus, suum ad pectus, hoc est Puritatis Regiam
haud ullam accedere permisit.

An

a *hic illis Asciæ usus erat.* b Ovid. *Metam.*

An sic plurium Senio ætatum incanuit!
Nullam, illius pennâ, ipsa Senectus diuturniorem habet;
cùm olim nonnisi Cygni calamo scriberet [a] Iupiter;
neque enim ullus, commodior illius accidere manibus potuit.
Magnum hoc! & cunctis Alitibus
etiam pulvinaria Deorum suâ plumâ farcientibus, ad invidiam!
Hanc, habuisse, quod in Cœlo, dignum esset Supremam Numinum manum occupare.
Vni OLORIS Pennæ, totæ laborabant Aquilæ Cœlestis alæ,
cùm, ex Ætna, ferrum à Vulcano laboratum afferre jubebantur,
quo, hanc Apollo vel Mercurius, Iovi, Scriptorium aptaret in calamum.
Ab illa, porrecta sibi fulmina, ipsa toties extorquent scelera;
hanc nunquam dimisit.
Neque enim vel in supplicia vitiorum utebatur;
Tam Innocentis Alæ Penna non scriberet flagitium, etiam puniendum.
Solæ felices ex Virtute Mortalium Causæ, illâ annotabantur;
ut in optata à Iove edicta,
plena mortalium Felicitas,
hæc in Cœlo sibi Duo requireret,
Manum Iovis, & Pennam Oloris.
Hinc crede: quòd cui toties laboraverat,
cùm ipsi familiaris Fortunæ, tam crebrò illius Ædes obvolitaret,
hunc argenteum pennis colorem, ex divite illius extulit officina.
Nihil Tibi detraham VOLVCRVM PRETIOSISSIMA;
heri quidpiam simile Tibi aspexeram
cum viderem Vniones.
Iste, cùm exterendo æstu, Te in littore Pactoli super gemmas volutares;
Tibi color adhæsit.
Aut, ne fallam sedulum Naturæ opus:
Illa, ex Te, ad Hydaspis ripam incedente, ipsas pinxit Gemmas;
vel, quòd una, Tui Archetypum non impleret,
quemadmodum olim Apelles, ex omnibus Spartanarum, unius Cythereæ vultum,
Tuam, ex omnium Specie Gemmarum, expressit imaginem.
En Te ipsâ video collocatum in * Corona!
Quo Te Volucrum Gemmam nisi in Corona poneremus! *In Culmo Stemmatis.
An Te Rarissimam inter homines Avem,
aliquis Diogenes, non ad quamcunque facem,
sed ad ardentium lucem invenit Pyroporum.
Quam altè, si supra Diadema abiisti!
Quod hinc Tui pretium concipiam!
Corvus, in Galea, Corvino,
Tu, ipsa portaris in Corona.
Commendatissimis suæ [c] Pietatis laude Ciconiis, obviam quamcunquè;
Tibi auream posuimus Rotam.
Ipsa Fortuna, inornatæ insistit;
Te, adamantibus intexta sustinet orbita.
An Tibi sic ad Piscariæ littus inambulanti
ipsæ, pedes strinxêre Gemmæ
ne alias Te efferres in ripas!
Fugitivus Honori,
hanc auream illius circumfers compedem.
Ipsa Thetys, innocentissimis gressibus Tuis
singulas adjecit margaritas.
Veteribus, milliaria sua, lapides;
Tibi omne vestigium, distingvunt gemmæ.

 Proba;

a *Cygneâ pennâ Iupiter utebatur, felicibus mortalium causis subscribendis.* Hesiodus.
c S. Ambr. *l. Hexam.*

Proba, quod es, INNOCVA VOLVCRIS!
ſupra lucentes ambula Ametyſthos.
Inſiſte Saphiris, Chryſolitisque,
Tuum, ſupra illos, effer pretium;
Sciamus, Te Gemmeam Avem, ſupra Iaſpides Adamantes
altiùs reponendam eſſe.
Quid verò meruiſti ALITVM OPTIMA?
Obſidionali cingeris ſerto; GEMMARVM.
Vndique Tibi paſſum impediunt VNIONES.
Tiberio, ſub limine, opes non modicæ,
Tu, quà incedebas, Corona reperta eſt.
An ſic Te ſibi CYGNE elapſum captat Dignitas?
pro pedicis, Coronæ nodum parat!
Video, Docta Apollinis Ales, in Gemmarum ſtetiſti circulo;
hoc à Te diſcere non poſſunt,
non tantùm volvi, ſed volare in uſus mortalium.
Ad illud quoque, quendam palloris colorem induunt, reſponſum Tuum:
illas tam diu in mari, hoc eſt, Regno Veneris fuiſſe.
An Tuos amplexantur pedes!
Habent quod deprecentur
tam ſerò, hoc Tibi pretioſum monile texuiſſe.
Attamen ubi Caput, ſi ipſas inter gemmas, habere pedes dignus es!
En! ut ſingulæ invidiâ pallent, ſi quam præ aliis calcare velis.
Poſtquam Gryphes, aurum cuſtodiunt,
Te ſibi Gemmæ eligunt, ut pro illis excubes.
Inſolitus quidam Magnes,
& aurum & Vniones,
& ipſum, cum his, ad Te Diadema trahis.
Ad Tuum admiſsi pedem, niſi duriſsimi eſſent Adamantes,
illius amore ſolverentur.
Quid verò CYGNE, iſthic poſitus agis?
An ALITVVM PVLCHERRIMA, aliud dignum non eſt,
in quo, Te niſi pretioſiſsimo Iaſpidum ſpeculo, contempleris!
An ex multis, Barbaro ſeligis Gemmam Annibali,
ex qua ſupremum, cum veneno fatum bibat!
Quid tamen Te unam, totum ambit Diadema!
Alias Volucres, quibuscunque ſeptis, aut crate vimineâ,
Te, ipſius Coronæ claudimus ambitu;
ne extra illam, Tuarum aliqua Pennarum cadat.
Tene Iupiter quam ex Ala illius habes!
quòdſi hanc amittere Tibi accidat,
fruſtra ſecundam, apud nos requiras.
Nos quoque iam illam æſtimamus,
vix non pluris nobis habetur
unam illius perire Plumam, quam gemmam.
Ne, cùm hanc illi excidere, nobis auferri contingat,
circumpoſito Vnionum excipimus Gazophylacio.
Omnis illius Penna, Coronæ auget theſaurum.
Scio verò cur hic defigeris Cygne;
Quàm omnium OPVLENTISSIMA AVIVM es,
cui ipſa pro Nido Corona eſt!
Aliæ, ſibi, in hunc, viles per compita paleas,
ramenta, abiectasque frondes;
Tu, illi ſtruendo, Gemmas conquiſiviſti.

Scili-

Scilicet, non ad Cayſtrum aut Padum
ſed ad divitis ſtagna Fortunæ,
ad Tagum & Hydaſpem educatus,
illi tam multas facilè colligebas.
Aut certè Thebano felicior Amphione,
iam olim voce Tua in [a] ſeptuaginta ſeptem, Superûm Honori, Templa
ſaxa & marmora adeſſe juſſeras;
nunc illam Tuo etiam Ornamento,
pretioſi ſeqvuntur lapides.
Si non & illa ipſa ſaxa, Sacris immiſſa Delubris,
in adamantes Tibi ſardonychasque abierunt!
Nemo meliùs quàm Pietati fœneratur.
Accepta à nobis, lucro mutant, non reddunt tantùm ſuperi.
Dabit [b] *ipſe Coronam*
Factus honos Cœlo, & referet diadema labori.
Seu, in hoc,
Coronam, alicui Barbaro ereptam Regi, Tibi ſubjeciſti?
æquè Tu hoſtium Inſignia, atque ipſos exoſus,
pridem, procul elatam, profundo demiſiſſes pelago;
vel eidem, priſci fatum Æſchyli renovans,
in caput excuſsiſſes.
Ergo hoc noſtræ Diadema Poloniæ eſt;
dum Sarmatica Aquila, ultra fines Regni, evolat in hoſtem,
pro Corona domi Cygnus excubitorem agit:
tuta illius ſub alis protegitur.
Miraris? complicatis alis, totam inſediſſe;
ideò illas ita compoſuit, ne excedere videatur.
Quòdſi utramque explicet,
tutò ſub unâ, Poloniæ,
ſub altera illius ala, totum Daniæ Regnum ponas.
Sed audi, tanti meritum Honoris!
Quòd pro Balthide Iſtuleum littus elegit,
quantùm eſſe maximè grati poſſumus
ipſos, qui illum huc ex Danorum Regno detulerunt,
pedes illius coronamus.
Hîc, ſibi, * Kryvouſti Diademate, compenſatum putat, *Cum hoc primus Duninorum in regnum venit.*
quòd tres * Svenonum Coronas illic liquerit. *Tres hujus Familiæ in Dania regnârunt.*
Ne verò plaudite vobis hoſtes,
Regiæ ſuperſtare ſolitam Coronæ Crucem, non videre;
ex hoc Vobis Dignitatis ſuggeſtu,
regii verticis cogitationes,
hoc eſt, veſtrum perpetuò funus canit.
Beneficium tamen!
ut hinc inter gemmeos refracta lapides
exequialis Echo, tam placidè veſtris auribus allabatur.
Nos adhuc noſtræ gratulamur fortunæ;
ſimul cum illo, hîc noſtræ ſecuritas nidificat Coronæ,
cum quo hæc ſemper ſuæ felicitatis Alcyonia experitur.
Adhuc Tui pretium CYGNE repetam;
dum Tu in terris inter gemmas,
ſimul aliquid Tui, in Cœlo, ipſius Iovis inter digitos, eſt.

F Quem

a Petrus Danus, qui proceſſu temporis Magnus Palatinus, & Comes Piotrek appellatus eſt, 77 Eccleſias de ſectis ac dolatis lapidibus, ignominiam Poloniæ, cùm tunc in ea infrequentes ex muro eſſent, deterſurus, fabrefecit. Dlugoſſus in Hiſt. l. 4. b. *Mantuan.*

Quem etiam Tibi adhuc Honorem excludes
si ipsi Coronæ incubas?
Interim Tibi applaude hîc à Fortuna collocato;
non surdis cantas Scopulis,
voce Tua oblectas Vniones,
ipsos auritos Tibi reddis Adamantes.
Plùs est, Te toties, pro totius Oceani,
Istulei Regni Moderatori * IOANNI III,
atque pro Thetyde,
AVGVSTÆ MARIÆ CASIMIRÆ auditum esse.
Feliciùs non poteras, quàm istorum Coronæ cecinisse.
Quisquis verò interrogas,
cur solus hîc reliqua sine prole Cygnus?
Omnes CYGNEI, in pulchras ipsius Coronæ Gemmas transmigrârunt.
Demum ne invideas Ledæo Olori
quod [a] Castorem & Pollucem;
postquam hic unum istud nobis SIDVS protulit,
tam [b] certum Immortalitatis splendorum suorum,
quam nullum par alterum est
cum quo illos communicet.

** Illa tanquam CYGNEA fuit Divini hominis Vox & Oratio. Cic: l. 3. de Orat.*

Hîc Qvantos mihi vel una Oloris Penna, Insignes Honoribus Viros annotaret, omnibus deinde Fastis legendos, si illos vel omnes Fasti caperent! Hîc se offerre BOLESLAVS KRYVOVSTVS Poloniarum Rex, cum quo, primus Generis huius Auctor, & ipse Gvilhelmo Daniæ Thesaurario natus, Poloniam adiit; ut quemadmodum Czechus cum Lecho Rege, Aquilarum; hic, cum altero, nidum fundaret Olorum. Ductâ Thori Sociâ, Ducis Kiiovienfis VLODIMIRI FILIA, cùm ejusdem alteri, Rex ipse nupsisset, quâ se hinc illi deinde affinitate, Ducum, Regumq; ulteriorum non terminanda series, illigavit? Nullam hactenus tot sæculis in Polono Senatu, seu Profana, seu Sacra Dignitas Curulem posuit, cui hic Olor non supervolârit. Ipse primus Gentis Cygneæ, ut nomine unius, ad omnem formatus monstraretur dignitatem, Majoris Poloniæ gessit Generalem. Promeritus Virtutibus, rectefactorum Sanctimoniâ, ut ipse in omnibus totidem, quot condidit, Templis adoretur.

COLV-

a Fratres, b quorum alteri mortali, communicata ab altero immortalitas. Sidere mutati, alterni, occidente altero ex illis, vel oriente, lucent.

COLVMNAM
cernis
OBORSCIORVM

COLVMNA superpositâ fastigio CORONÂ.

Huic, si illorum,
si velis illius proprias inscribere laudes,
non laudes proprias tota Columna capit.
Hæc triumphantis Patriæ Obeliscus.
Vna ruinas nostras sustinet.
Ad hanc allisa toties vitrea Barbarorum fortuna comminuta est.
Hæc Othomanicæ limes ferociæ.
Vna, duabus Herculeis melior Columnis;
nam in illa Polonis hostibus non legitur, NON PLVS VLTRA
sed sentitur.
Vnde illis accepta, quæris!
Adeò laude literarum inclytis
una hæc ex DOMO SAPIENTIÆ obtigit.
Ad hanc nunc Publicæ Annales Gloriæ,
nostræ Privilegia Felicitatis, evulgantur.
Quanquam tam immane Saxum
nonnisi toto Thracum Ossâ aut Hæmo excisum est;
Victor illud Gladius dedolavit.
An ipsa hîc Turcia, fato Niobes,
suorum flens peremptorum funus liberorum, in Lapidem obriguit?
sanè stet tota,
insolitum victoribus effingens Colossum.
Ex ipsa Solis [a] Regia, translata hæc Columna est,
cui hucusque tam altus Splendor incubuit,
Ipsa humus statim natis ne diu expectarent,
hunc Obeliscum extulit,
Ipsis ex cunis honorari statuis digni sunt.
Verùmtamen cùm infrà rubeat Campus,
Plagiarium collige Turcis Saxum esse,
ad quod illos toties Sarmaticus Mars lictore ferro,
Bellona sanguineo cecidit flagello.
An Vos ad rubri littus Oceani Victoriam prosecuti,
huc limitaneum promovistis lapidem?
Credo; ita stans jus sibi totius vendicat Erythræi,
ne quisquam vestræ laudis serto
intexenda legat corallia.
Aut, si hoc Sanguinis æquor est,
trophæi instar attollitur,
quòd una, tantùm cruoris, Barbarorum suppositis expresserat cervicibus.
Nunc durus Scopulus suo illis exstat in Sanguine,
ut ad illum, in hoc, suæ adhuc Navis Reipublicæ naufragetur.
Stat elato culmine,
ex quo Polonus Vlysses Odrysios [b] Astyanactas
suorum deturbet in sanguinem.

 Nescis

a *Regia Solis erat sublimibus alta Columnis.* Ovid. Met. b *Priami filius ex alto ab illo præceps neci datus.*

Nescis quam sublimi surgat cacumine!
a Abydenis, Byzantinis turribus altior est.
Ab hac ultra Euxinum, Mæotim, aspicitur
quid totâ agatur in Turcia.
Nemo illos audit
quoties locuturi cum Diis hanc conscendunt.
Huic dum insistunt
ipsas inter nubes abscondunt caput.
Cum iam saturis annorum non libebit vivere,
supra hanc ituri Columnam,
& aliquem è Diis evocando,
adesse se indicabunt;
ille, porrectâ, ad se manu inferet.
Tantam, altitudine suâ, umbram,
quantam non ipse in Asia b Athos projicit.
Totus, subter illam,
refrigerio exercitus captando secedere potest.
Ipsam, missâ à se umbrâ, Lunam involvit
Tam verò firmiter collocata est,
ut nec fulmine incusso everti timeat.
Toties Furor Othomanicus frustra hunc
impellere humo Lapidem voluit.
Ipse pridem hanc Columnam suo Honor,
Fortuna suo intulisset Templo;
Mars & Victoria, in Capitolium avexissent,
si suâ movere sede potuissent.
Stat Marpesiâ immobilior caute;
ut vobis stet solis.
Quæ hæc DOMVS VESTRA!
ut ab ipsis lapidibus
etsi Grandium ædibus Numinum præponatur.
Stat adhuc campo, ut sit publica Basis.
Vt neminem, vobis fortiùs, cruentâ arenâ stetisse, monstret;
faciliùs semper quicunque Phariam Pyramidem,
quàm Vos, illo, quem in bellis ceperatis, loco depulisset.
Nunc in immenso Martis campo,
ne quis illo ad Gloriam exerret, iter edocet.
Terræ motus, quibus Memphiticæ corruêre Pyramides,
tuta sustinuit;
ut majus omnibus illis Prodigium sit,
cùm illas iam cecidisse, hanc adhuc stare posse, miramur.
Audi de robustis hac stirpe Heroibus!
Columna fortes Samsones indicat.
Tantis graves meritis
toto fulciri debent Colosso, ne procumbant.
Chiron Pinu, quicunque Gigas alius, arbore;
hi pro armis, totâ utuntur Columnâ.
Non quemcunque in Turcicos canes emittunt lapidem;
integro ab istis Colosso, lapidantur.
Tota istorum Domus, una Patriæ Columna est.
Supra hanc, Sarmatiæ spes inclinata recumbit.
Quæris! cur nullum illi superstet Simulacrum!

Multa,

a *Sestos Abydos Turres vulgo, Dardaneli, ad Constantinopolim.* b *Vmbra tamen huius ad 900 stadia protenditur.*

multa; equidem illâ, Fortitudinis, Gradivi, Honoris, visebantur;
(neque enim se ab ullo lubentiùs, quàm ab istis coli optabant)
jam omnia ut seipsis istum adorarent,
sponte ab illa ceciderunt.
Dum impositam illi CORONAM vides!
nihil hi altius summâ habent Potestate;
nihil supra Coronam attolli patiuntur.
Huc verò impositum est Patriæ Diadema,
ut hostium, ad illud, manus non pertingant.
Tam altè hi Regale tuentur Decus,
ut non minor hosti, ad Regium caput,
quàm ad altissimæ fastigium Columnæ, longinquitas occurrat?
Noveris tamen, hoc Marmor suo coronatum merito;
toties opportunam in se Patriæ excubiis speculam exhibens,
pretiosè redimitur.
Quô hos ergo ipsos dignos putes,
quorum ipsi promerentur lapides coronari?
Cedit illa, huic Columnæ, cui aureum, tantùm promittebatur [a] caput;
cùm hæc semper præferat etiam Coronatum.
Si non plùs quoque quàm semel,
quia à CHRYSOSTOMO Aureum Caput possidet.
Digna quidem, Rhodii instar Colosi,
ipsum sustinere Solem,
nisi præ Solis vultu, illi feliciùs foret,
hoc imposito sibi SIDERE radiare.

At verò, quot hic Tibi Illustrissime Domine, seu Poloniæ seu Italiæ recenserem, Antistes, Proceres Purpuratos! * Sed, quot illos habuerit, ipsa nescit Roma; omnes in hoc nati erant, ut Fidei, Religionis stabilimentum essent. Si nunc omnes simul hæ Columnæ starent, Aventinum Palatinumque montem grandi suo pondere degravarent. Olim omnia Nomina ad numerum vocare, labor Æternitatis erit; nunc omnes immortalibus inscriptos tabulis, hic suppositos sibi tuetur Colossus. Corona tamen illius, Reginam Poloniarum * BONAM indicat; ab hac, illi, cognatæ Regibus Prosapiæ adhæsit Diadema.

** Plurimi Columnarũ Episcopi, Cardinales.*

** huius fuerat Familia.*

AGNVS
ZAŁVSCIANVS
VNVS est.

** IVNOSZA seu ARIES albus totus, supra Colliculum pede elato.*

Nescio, an talem alterum etiam Deorum recensent Ovilia,
non huic parem Honor habet,
[b] cuius tamen ille sanguine omnes tingit Purpuras.
Ipse Zodiaci Aries

G cùm

a *Quod, ab hoc, umbra certo die cadens, locum attingeret thesauri sub terra defossi.* Buchler in Rarit. Græ. b Hesiodus.

cùm apertum in Cœlum, ante Iovis Atrium prodiit,
non citiùs quàm toto vocatus mense, illi redit;
tamdiu hunc ab alto prospiciens miratur, tamdiu invidet.
Etsi verò etiam ornatus Astris,
tam longo dierum intervallo se nobis ostentet ab axe,
obtinere à nobis non potest, ne hunc illo credamus meliorem.
Totus CANDIDVS;
non tamen solùm ex [a] *millibus* aliorum *electus*, sed ex omnibus.
Pridem illo ipsa veheretur Innocentia,
si suo reperire Currui talem secundum potuisset.
Est quod illi gratuleris;
hôc, qui unicus ad Dignitatem color, semper insignitur.
In ipso ad summos Titulos habitu, natus est;
ut, qui illi aliquando conferebantur, omnes tardè receperit,
ad quos, ipsa simul cum vita, Candidatus fuit.
Natura, omnes alios prævenire voluit;
ne eum talem, illa, prima non faceret.
Nullum, illi, sui operis momentum exit,
quo non ingentis famæ Competitorem agat.
Nepheleia quondam Ovis Phryxum & Hellen portavit;
felicior, cuius dorso etiam Numen aliquod,
scilicet CANDOR sedet.
Hactenus alteri se vacuum oneri servat;
quemadmodum Bucephalus neminem præter Alexandrum,
hic, solum in se CANDOREM sustinet.
Ab illo, cùm semper eum ferat, hunc injectum sibi amictum habet.
Aut si haud ulli jugalem putas,
(Quis enim dignus, ut hic eius bajulus esse velit?)
Amicum potiùs Candori Animal est:
cuius ille amantissimus, ipsam, se illa exuens, suam illi Togam donavit
Quantâ ergò pulchritudine promicat!
non alius illi in tergo, quàm Candori in vultu, color est.
Solus in Campo aspicitur;
quòd nihil usquam trepidet, solus exiit.
Seipso, quia Candido, tutus est.
Sublimi insistit COLLICVLO;
superba humus supra alium se omnem extulit locum,
qui necdum eum accipere meruit.
Quanquam insolito istud Telluri gaudio evenit,
ex toto illo Candido, hoc est, Puritati collactaneo;
Ipsa Tellus læta se quodammodo effert,
quà, per illam incedit Innocens.
Stat Agnus elato prati culmine;
ipso omnes congressu suo evehit,
nemo illum accedere potest, quin se videat ascendisse.
Præcelsum Animal, non pascitur nisi in sublimi.
Accurrite Patriæ Cives!
Sponte Agnus sublimem inscendit locum,
ex hoc fecunda lanæ monstrat latera.
Venite! vellite, quô Patriæ alligetis vulnera;
immo pretiosa ipsorum donaria Deorum involvatis.
Vel certè plausum parate triumphalem!
jam Agnus *eminere* incipit;

supra

a Cantic.

ſupra unum ex ſeptem Romanis ſtetit Collibus.
Noſce tamen adhuc, unde ita altus à terra ſtetit;
cùm hoſtes infenſi Polonæ telluri, ſuos illi ſubjeciſſent cuniculos;
quibus illam multo diſsiparent vulnere,
hic, iam iam erupturos, agnoſcens ſurgentis indicio ſoli,
illis accurrens ſuperinſtitit;
& vel hoc pedis elati nutu exire vetans, ſubſidere cògit,
vel ſpargendam, ſe ipſo firmavit.
At, cur non hunc, illius Innocentiæ, ſucceſſum tribuamus!
Siculus Ignis, [a] *ſcit nivibus ſervare fidem,*
habitâ Probitati reverentiâ, in imagine ſua;
Probate mortales!
hunc ſupremo Veſuvii faſtigio ſuperponite,
cras, nullo ſe hâc exitu ſolvet ignis,
lucentem flammis quotidie rogum, ſeipſo extinguet?
Maximum cuicunq; obſtaculum incendio Innocens.
Hâc, quà conſtitit Virtus, non tranſeunt pericula.
An ſic ſuo fixus pondere perſiſtit?
dole Iupiter! hunc tibi olim non adfuiſſe;
quem ſi Oſſæ, Pelio, reliquiſque ſuperſtatuiſſes montibus,
non ullum Centimanus,
non tota Gigantum Turba ſuo emoviſſet loco
contra Te jaciendum.
Vel nunc eum ſupra Ætnam defige!
citò Trinacriam ſolito liberabis metu;
ſentiet onus [b] Enceladus,
ut illi, inquietum pænæ, componat latus.
Cùm verò unum extulit Pedem,
nego eum totum eſſe ſupra terram.
An ſic hunc ex alto nobis exhibet,
ut ab illo noſcamus, nunquam inceſsiſſe per ima;
nunquam niſi in ſublime, vel unum movere pedem voluiſſe!
Nobis ipſum monſtrat, ut ab illo legamus,
quemadmodum illo hactenus multum Gloriæ iter confecit.
unam protendens Plantam; paſſuum ſuorum menſuram capere jubet
Quis non immenſos putet!
ſic extentâ, vix unum molitus greſſum, huc aſcendit;
quò non adhuc pluribus, ſi uno illuc pervenire paſſu potuit,
unde totam infra ſe humum reliquit!
Ergò ſic Plantam oſtendit;
ſupra Leones habendus, quem totum, etiam non ex ungue noſcas.
Stat ſolus, hoc culmine ſuo;
à nemine deturbari timet.
Vnum levans pedem, omnes terret incurſus;
illo, è longinquo, meditatum crimen invaſori excutit.
Aut ſi quos, propiùs illum, ſua tulerit audacia,
hunc ſolum ſi impingit,
omnes ſub triumphalem illius calcem protruſi cadunt;
quem, dum ſupra illos, ita elatum tenet,
lentæ jacere morti malunt
quàm rurſus contra illum aſſurgere,
ſemel grave illius experti veſtigium.

 Tan-

a *Flamma Ætnâ erumpens, nivem non ſolvit.* Claud. de Rap. Prof. b *Ætnâ à Iove obrutus; illo ſe movente, Terræ motus in Sicilia, iuxta Poëtas.*

Tandem crede hunc AGNO locum, sepultos extulisse Turcas;
ut, de quo non benè meritum putes,
cui attollendo in sublime, cæsorum laborant cadavera Hostium;
quem victi Barbarorum manes cùm inferre Olympo non posint,
seipsis, saltem propiùs admovent.
Quanquam ille, defossis superstat Victor;
ostendit, uno tot Triumphos adiisse pede,
Imò, illum levans, calcat non fuisse ampliores.
Aut attollens, præbet locum
Laureis ex sepulchrali colle surgentibus.
Mitissimus iam superatis,
ita insistens, sui cespitem Triumphi tegit;
imò, reliquæ telluri æquare nititur, ne aspiciendus prostet,
& Barbarici funeris auctor inquiratur.
Placidus post fata sepultis,
ne illis, ipsâ gravis cum terra, sit,
partem oneris subducit, plantâ sublevatâ.
Si non ita admisso calce mortuorum pulsat tumulos;
adesse jubet conflictui, ne desint quos iterum vincat.
Iam pænitet, tot unam congessisse in stragem,
ut nihil reliquerit secundæ.
Vel, si hunc auriferum collem opineris,
seipso, aurifodinam consignat,
postquam illius possessionem, pro nobis, pedum positione, iniit.
Immo iam ne Poloni gravem ligone laborem subeamus,
suo excutiens pede, thesaurum fodit.
Quanta illi, cum Innocentia, etiam modestia!
non aliquem supra montem ascendit;
Fugit altum, cuius non eget, Innocens, Theatrum.
Procul Virtus etiam ex parvo cernitur.
Seipso hic Agnus sublimis est;
quamvis humili colle steterit, seipso, quovis altior monte eminet.
Grande, ex ZALVSCIANO Nomine, habet fastigium.
Aut certè hîc parvo se sustinens colle
illic altiùs culmen expectat, ubi [a] *supra montem* conspectus est.
Miraris! qui eum pascat, nullum adesse;
necdum, hoc illi, Fortuna præstare obsequium meruit.
Vellet Ganymedes redire terris,
et si dignus foret, isto, illum, pro Ida, colle pascere.
Percontaris, cur totus circùm Ruber Campus sit;
ipse sic pedem elevans, indicat,
quòd, Perseo veriùs, quidquid calcaret pulchrâ ipsi mutatum Rosâ est.
Ne ille tantũ gloriari posit quem Semiramis Agnum quotidie Rosis aluit;
has, tota illi circùm tellus longè abundiùs producit.
Quas cùm hîc semper aspicis,
ne iterum hunc, esse meliorem Cœlesti, Arietem dubita,
sub quo, perpetuò terra, Vere quodam pingitur;
cùm, quocunque velis tempore; hîc Rosæ appareant.
Meliùs affirma, Purpuram esse;
hæc undique Illi sternitur, ne usquam nisi per honores incedat.
Ipsa Dignitas, videns pede elato velut iter parantem,
ipsâ illi trabeâ viam sternens,

(minùs

a *Stabat AGNVS supra montem*, Apocal. c. 14.

(minus [a] Othoni Boleslaus præstiterat) ,
ad se deducendum invitat.
Aut certè ; cogita hoc illum colle ;
ceu modico Insulæ loco, stare;
totam illi Sidonem Tyrumque circumfundi,
omnem circumnatare muricem ;
posset totus ostro tingi, & viva fieri purpura ;
sed attollens pedem, ne hunc quidem, immersum cupit.
Nil non Candidum Innocensque omni suo exigit â vestigio.
Pulchriorem omni aliâ, Innocentiæ tincturam putat.
Sic colle conscenso plantam elevat ,
veluti alios doceat, candidè ubique incedere.
Ipsi, iacenti propè, ita quidpiam Purpuræ, scilicet Innocentiam inculcat.
Hoc supra Trabeam colliculi fastigio surgit, indicio :
Quòd *habitu Candoris supra Purpuras evehimur.*
Altiùs Virtute, quàm honore eminemus.
Attamen quisquis es ! nega ZALVSCIORVM AGNVM
grande Terris obortum SIDVS ;
ruber hic, non alius quàm Purpureus Auroræ color est.
An verò aliquando magis hic Sole surgente, suam illi, per Cœlum,
quàm huic, suam, Tellure viam pinxerat.
Immo, intellige Tanti magnitudinem Sideris ! ,
quod, cùm subitò oriri totum non possit,
omnia, circùm tamdiu perpetuo velut in exortu,
à primis illius rubent radiis.

Sic ergo Tibi nascituro hæc meritò Superi sanxerunt ornamenta. Quid enim Tuam adultam, citius Infantiâ Pietatem, magis quàm Cruces Olszoviorum delectarent? Quæ, quàm illorum geminæ Falces, non unam ex Te nobis solatiorum fertilitatem portenderent! Quæ illustres nato in Terris SIDERI cunas, præterquam Korycinsciorum Ascia, ipsaq; simul Luna fabricaret! Pulchriorem Infantiæ Tuæ Avem offerre, præter Duninorum Olorem, orbis non poterat. Ad magni Fascias Alexandri, Aquilæ; ad Te Cæleste Sidus, ipse è Zodiaco Cygnus advolavit. Quis isto, toti stellarum [b] Lacteæ advigilante, candidiùs sub ala sua, Te lactens in terris, Astrum custodiret, aut feliciùs innocentiùsq; Tuas lachrymas , quàm hoc, quē ante Iouis modulatur Atriū, cantu suo recrearet! Tam auspicatus natali Tuo dies, non quocunq; lapillo, sed totâ Oborsciorū Pyramide debuit annotari. An alia, quàm hæc , impressâ sibi illorum voce, præ Memnonia ad prodigium facundior statua , istud suo in exortu Si-

 dus

a. *Cui, D. Adalberti sepulchrum invisenti, aliquot leucarum iter, panno straverat.* b. *Cygnus protensis supra Lacteam alis volat.*

dus salutaret. Quodsi adhuc vellem alia Generis Tu retexere monumenta, quantus nullo exhauriendus calamo, æquore maior, Purpurei fons Sanguinis funderetur. Ipsa pro illo Fama excubat, & una illius stilla, tot Familiarum pingit Imagines, in Capitolio triumphantis Nobilitatis defigendas. Hoc eodem AGNO KROSNOVVSCII KARNKOVVSCII censentur. In tot tamq; multos ab aureo ævo Heroes, Senatores, Archipræsules exornandos, pulcherrimum Decus, quodam ipsius Fortunæ miraculo, replicatum est. Ipso semper AGNVS hic pascitur in Senatu, recentium Titulorum Fascibus, quos illi Gloria, Merita, Virtus, destinato Honoris præbent alimento. Cùm verò Lanam suam RADZIEIOVIÆ intulit PVRPVRÆ, quidni ita assurgeret! novũ felicitatis suæ gradum putat, in huius lacertum, quô ille Poloniam, quô, tantum ipsius Romæ sustinet, pervenisse. Quanta Te tamen adhuc AGNE ZAŁVSCIANE Immortalium stipant decora Virorum! ut passu elato subhærere cogaris, quòd viam non invenis, qua, per tanta exire posis ornamenta. Hinc Te MOKRANOVVSCIORVM, STRZAŁKOVVSCIORVM, MĘCINSCIORVM, DZIAŁYNSCIORVM, FREDRORVM, LIPSCIORVM, KAZANOVVSCIORVM, quantus in illis! cingit Senatus. An necdum & KONIECPOLSCIOS adesse vidi! ut sua Tibi circùm æterna locant trophæa; ut undiq; suspendunt Belli Pacisq; adoreas; & per ingens Turcici sanguinis æquor, ceu ponte, supposita Ducali Clavâ, abire jubent, non ad unius Dignitatis Floridam, & ubiq; littus tenere fortunatum. Sed quæ hìc cum tot illorum Ducibus Tua centuriatur Gloria! postquam illa, cum his, in Castra Poloni Martis, & ad solium Vivæ Regum omnium Gratiæ INVICTISSIMI IOANNIS III, devoluta est. Nunc totus erigere, & supra omne Generis Humani exili fastigium! Nõ enim poteras ARIES ZAŁVSCIANE ex ulla affinitatis arbore, feliciorẽ surculum admordere. Quodsi [a] Pelopidæ Reges, sceptra sua, Arietis Tantalici lanâ adornabant; Tuum quoque Vellus, & si

Fratribus divisione terra habitandæ Nomen aliud sortitis.

non

non in illa KRYVOVSTI & BONÆ regnantis dedu-ctum esset: hoc illi gratulor, in IOANNIS III Boleslais omnibus bellicosioris, MARIÆ CASIMIRÆ præ omnibus Bonis, sanctiùs coronatæ sceptrum, ascendisse. Sine me, tot inter Familiæ Tuæ triumphos, tristes canere nænias. Quis Te tumuli lapis, Senatûs Orbisq; Poloni Princeps Primasq; ANDREA OLSZOWSKI, totum tegit! non sub immensa jacere Carpathi mole totus potuisses, nisi Te fata, illo temporum febriumq; æstu, exiguum solvissent in cinerem. Quantam nobis Mensis ille Cæsarum, & Cæsar Mensium expugnavit animam! ut planè videremus, ipsis illis cum diebus, quidquid in Præsule, Senatore, augusti esse posset, * finem suum attigisse. Experti planè Herodis, in Libitina facinus; cùm illi, quo Episcopo, Senatore, Patre Patriæ, non surrexerit major, vitam amputavit. Diu multisq; feretrum exequiale aspersimus lachrymis, & siccare luctus nostros, non adulta Anni Cælique serenitas potuit. Intelleximus imò, parum nos illacrymari cladi nostræ, nisi vicinâ perpetuo ploratu Balthidem totam funderemus. Omnia in ipso nobis Mors velut suæ venalia tyrannidi, in illo Regni nostri rapuit emporio. Ingens damnum terrarum, non poterat nisi cælestis statera ponderare. Sed sistere jubebo luctus, cùm satis illorum habuerit, cui grandissimam in morte præficam tota egit Respublica. Iam quoq; Te præstat facere, quod, Phænicem cùm Patriis facere cineribus, Poetarum fide exploratum est. Ille jam grandior, paterni reliquias rogi, & relictam illius a fato favillam omnem colligit,

Perq; leves auras, b. Hyperionis urbe potitus,
Ante fores sacras, Hyperionis æde relinquit. c.

Non semper, jam & ipse Phænix, alterius cineres respicit; quod verò gratissimum illis exhiberi putat, ipso Solis templo committit tumulandos. Sic & Tibi, Tanti ubiq; Phænicis illius sepulchrum, ne adhuc obversetur; post-

** Moritur 29. Aug. Die S. Ioan Bap. Gedani,*

 quam

a. *Arcanus Aries cuius è tergo novi aurata Reges sceptra Tantalici gerunt.* Seneca in Thyest: Vers: 227. *Tantali Nepotes Peloponnesiaci Reges sceptrum Arietis lana, ornare solebant. Delrius, Farnabius hîc.* b. *Id est, Solis.* C. *Ovid. Metam. l. 15.*

quam jam ejusdem cineres, ipso inter Beatorum splendores Manium Olympo deduxisti. Non mortuus nobis est OLSZOVIVS, pro quo vivit ZALVSCIVS. Non ille frustra, Magnus tunc Regni Referendarius, * suum Tibi nomen impositum voluit, quòd cum hoc, omnia ad Te ingentia illius decora referrentur. Neq; sine arcana Superûm destinatione, eadem Te quæ illum dies Orbi effudit; nisi quod idem aliusq; ille, nascereris. Parum dixeram: CHRYSOSTOMI & OLSZOVII luce editus, pro quantis unus Præsulibus nobis obtigisti! Vt Te innumeros spirare asseram Antistites, dicam quòd hi duo in Te, & CHRYSOSTOMVS & Magnus ille natus est OLSZOVIVS; & potes supplere utrumq;, quia es ZALVSCIVS. Ab Illustrissima Fratrum quoq; Tuorum laude, quantum Tibi, SIDVS quantumvis Te ipso maximum, fulgorem intendisti! In LVDOVICO, ingens cum probitate animi, certat ingenium, vincente utroq; neutro tamen sibi palmam concedente. In tanta Virtutum illius innocentia, quis neget ab illo suum esse ALEXIVM appellatum. MARTINO Aræ Cracovienses, & adhuc pulchriorem propria merita laudis facem accendunt; quâ & Romæ, atq; in hac, mundi ipsius oculos in se convertit; Sarmaticisq; Aquilis illuc tunc advolitantibus præluxit, ne vel in Appia, à virtute aberrarent. Illustrissimus Castellanus Ravensis, non minor illo ALEXANDER, totum, famâ nominis, Polonum Orbem implet. Nuper pro Tribunali, Rex juris Sarmatici, Virtutes non passus est vitiis esse subditas; & quemadmodum ille, Macedoniæ, hic Regnum extulit Iustitiæ. Adeo illum Invictum suarum experta est legum Propugnatorem, ut nihil jam magis sibi optet, Astræa, quam ad suam cælestem Libram pro ipso Leone ZALVSCIANVM semper AGNVM excubare. Brestensis Cuiaviensis Honor, nactus Lechici Orbis HIERONYMVM, seu semper assveverit tubam audire, & si Gradivi: seu facundiâ eiusdem, nostris consultet rebus. Liven-

*Illius nomine Andreas vocatur.

Episcopus Alexiensis.

a. Virgo in cælo, Poetis Iustitia, ad cuius Libram, hinc Leo. b. S. Hieron. videbatur sibi semper audire Tubam judicii.

venſe Vexillum, adeo armaſti FRANCISCE ut ſub nullo major Virtutum exercitus, aut robuſtior Gloria militârit. Par ſub illo, Tibi, ſe Fortuna explicat, dum in Lectiſsima Conjuge, Principum Areſchot Sanguinem Tuo miſcuiſti. Tu quoq́ CAROLE, jam nunc Magnus es; ex KARNKOVIANO AGNO, ſimulq́ Tuo, jam ingens Tibi, novo lanificæ opere Mineruæ texitur Trabea, ad quam interim Te Honori abſcondens, literaria in umbra deliteſcis. Ab his vero, (ut iterum rariſsimam Tuam conveniam felicitatem) quantis, Progenitorum Fortunatiſsime, Tuam jam Meritis anniſq́ canam ætatem, inſtauras laudibus! *Vix ullius ævi, gentis, ordinis hominem inveniam*, cuius ſucceſſus omnes, huic Tuæ *comparem Fortunæ? Quodſi Metello. cùm mortui eius lectum, pro roſtris ſuſtuliſſent, quatuor Filij, unus Conſul & Cenſorius, alter Conſularis, tertius Conſul, quartus Candidatus Conſulatûs*, quodſi inquam funebrē pompam læta admirantis Velleji ſolvit acclamatio: a *hoc eſt nimirum, magis feliciter de vitâ migrare, quàm mori!* iubeo ipſam Famam, vel grandiorem vocem, vel majorem accipere Tubam, quâ, dum Te à tot pluribuſq́ longè ex Te, Tibi & Dignitati publicæ natis, ipſius Immortalitatis Capitolio, illorum non tam humeris quam meritis inferri videt, quâ nimirum per omnium Populorum, Vrbium Nationum aures inſonet: hoc quotidie eſt triumphare non vivere! O AGNVM ZAŁVSCIANVM, quantò Tua præ Troianorum Equo gloria commendabilior! ex illo, Diomedes, Vlyſſes, obſcuræ incendia noctis, b furtivum ferentes ignem; ex Te tot tantaq́ Virorum Lumina, Troiæ Polonorum illuſtrandæ, prodierunt. Et Tu Cæleſtis Aries, ſereniùs adhuc micares, ſi Tuorum, quibus effulges, numero Aſtrorum, hoc unum ZAŁVSCIANVM Sidus adderetur. *Caliſsij incumbit literis.*

Iamq́ in eruditum Minervæ ſtadium educebaris, cui non pauciora Eruditionis quam Virtutis Tuæ veſtigia, ſupra omnium imitationem ſæculorum impreſsiſti. Nullam Tuæ parem Verecundiæ roſam, æquale nullum Tuo intacto Candori lilium, totus Apollinis hortus educabat: Tu inter omnes Pòëtarum, præcipuus integritatis flos

a. C. Vell: Pat. l. 1. b. *Primi ignem accenderunt. Delrius in Sen.*

eminebas. Quoties cum alijs adeundo Heliconium inspiceres flumen, nullam citiùs lympido aquarum speculo, quàm Tuam tenerrimam præ aliis in vultu Pudicitiam, exprimebat. Et quanquam alterum Te, in illo, Narcissum omnes contemplarentur, omnes dum in Tui, simul Virtutis amorem accendebas. Cùm esses Pòëtarum primus, Tuus tamen Candor nihil minùs sciebat quàm fingere. Cùm ubiq; in Apollineo nemore ambulares inter laurus, nullam Veneris taxum aspexisti; maluisseśq; funereâ cupressu, quam Adonidis myrto coronari. Omnia, [a] Homero Vatum Antesignano, perquam simillimus, nisi quod oculatissimus esses ad ea, in quæ alij impingebant. Non tantùm Maronis Didonem, sed [b] Sybillam fugiebas, quòd Æneam duxisset ad inferos. Omnes Tu æqualium comessationes, ceu fatalia Circes pocula, aut Socraticam cicutam aversari; malleq;, in mensam, unum Virgilianæ Æneidos folium, quàm extructam epulis lancem inferri. Sciebas nempe, Hiacynthum ab Apolline, non libro sed disco interemptum. Ipsum oderas Parnassum, quòd uno colle, Baccho sacer esset, vinaq; funderet, quæ multorum sibi luxus & vitia propinarent. Optabas pluribus, quàm numerent Poetæ, pedibus, ad virtutem, ad metam immortalitatis contendere. Cùm altum Parnassi subires montem, accusabas non esse altiorem, ut minùs ex illo distares à Superis. Etiam, velut Religiosus quidam Apollo, ita illius culmen dividebas, ut in illo Tecum sinistro Musas eruditas, potiore altero, omnes Virtutes collocares. Iamq; Tu, ex utroq;, cuncta inferiora Te, aspicere; omniaq; Tibi tam esse levia, ut ad quæcunq; omnibus ardua aliis, Tuo nonnisi descendere ingenio videreris. Cùm in illa tum Vrbium, tum omnium Metropoli studiorum Cracoviæ versabaris, quemadmodum in IAGELLONICI illius Athenæi * SCIRPO, tam Tibi nullus literario Tuo in profectu nodus occurrebat. Sed num RAVENSIS obliviscar Lycæi! cuius VOLVCIANVS * VRSVS ad invidiam

Regiȷ Fundatoris stēma Iunceus Manipulus

** Palatini qui fundavit.*

diam

a. Homerus cæcus. b. Æneid. l. 6.

diam [a] illius, qui unum nonniſi; tot ipſe patrio ferendo Cælo Atlantes, hoc eſt, Præſules, Senatores, nunc quoq; ſuperſtites, recenſet à ſe olim educatos. Quantum Tu hîc implere theatrum! quantus omni monſtrari in ſcena! Te unum omnes ſibi oſtentare Minervæ porticus, à Tuo vultu, à Tuis nutibus, ab ore Tuo, velut apes à flore pendere univerſi, niſi, quod ex Te legerent, omni ſvavius Cecropio melle reputarent. Omnia literaria optare ambulacra, ut vel ſemel illis incederes, acciperentq; Tui veſtigium, quo, ſequentibus commendabiliora ætatibus evaderent. Quotieſcunq; doctam intrares Cyrrham, grandem omnibus illius incolis ciebas contentionem, ne ipſum crederent veniſſe Apollinem, quòd non minores ex Tuo, quam illius vultu, illuſtres ingenij radii emicarent. Iam Te uno omnis ubiq; Vatum chorus reſonare, omnes ſibi, Te, ſuorum indicere materiam carminum, Tibi ſuos acuere calamos, nihilq; lætius ad Phæbi cytharam aut grandiore ſono ad Melpomenes tubam, quàm ſi Te juberentur, decantare. Iam quoties VOLVCIANVM reſpiceremus ANIMAL, putabamus ad illas voces, & Te ſub Aſtra efferentium clamores, vel Zodiaco exterritum, vel ſponte, ad illud, in quo, Atticis dulciores eruditionis Tuæ recondebas favos, Alveare Tuum, Cæleſtem Vrſum deſcendiſſe. In illa verò, quàm dorſo ferebat, Regali *Virgine, ipſam ſuſpicabamur veniſſe Palladem, nolleq; hîc aliter, quòd Tu anguſtum illud Lycæum, amplâ quadam literarum mutaſſes regiâ, quàm Coronatam apparere. Iamq; illa, ſuas, Te tantùm conſpecto, elevare manus, geſtu velut altiſsimi doloris, non Te, citiùs ipſo Iove, procreatum eſſe, ut ex Tuo potiùs, quàm illius cerebro naſceretur. Sive veriùs utramq; illa efferre dextram, laborioſis Tuis demulcendis conatibus, vel docto frontis Tuæ ſudori extergendo; aut ambas ipſi porrigere procul cælo, novamq; Tibi à ſuperis poſcere lauream, in Tuum, ipſo ex æthere, verticem deponendam. Atq; impatiens, Tua Tibi ab Olym-

*Stemma RAWICZ, ſeu Virgo coronata Vrſo inſidens currenti, manusq; ſublime protendens.

[a] Atlas ab Vrſo nutritus.

po differri præmia, attollere manus, propriumq́ capite ſuo deripere diadema, quo (ſi in hoc citatiſsimo feræ, quâ ſedebat, curſu potuiſſet) quo inquam Princeps Tuum Ingenium coronaret. Et qui nobis non grande jam tunc SIDVS habereris, qui eodem loco, quo, Cæleſtis cum Vrſo Virgo, radiabas! Sed hoc ipſum quoq́ eſt, quòd tam incitato ſe hinc auferre curſu cernerentur, ne ambo, quanquam tanta alibi Aſtra, Cæleſtis Virgo, Vrſaq́ Major, coram Te Maximo in terris SIDERE, minora apparerent.

Iam magnitudine Tuâ excedebas Poloniam, & adhuc creſcebas. Coacti noſtro Te dimittere, aliarum Regionum cælo exoriturum; ut tantiſper Tui abſentiâ noſtras diſsimularemus anguſtias; Tu quoq́ parceres Patriæ, ne Te uno Maximo Cive ſuo minorem ſe quotidie aſpiceret. Non ſtatim verò nobis totus abieras, & quanquam ne Te noſtri impatientia amoris rurſus ſibi revocaret, etiam feſtinares, tamen facere non poteras, ne non lentè, & velut per partes, Tuâ deſerente illum magnitudine, noſtro totus exires oculo. Cùm nos poſtridie, eodem ſupremorum heri Tecum amplexuum loco, noſtra referrent tædia, adhuc ex illo, procul, aliquid Tui ipſius cernebamus; maiorq́, tanta ex diſtantia, quam alij, ipſâ ſui viciniâ, nobis occurrebas. Intra quod ſpatij longiſsimi intervallum, jam nobis turres monteſq́ occultato vanuiſsent cacumine, adhuc ſe aliqua Tuæ ſublimitatis imago oſtentabat. Itaq́ attoniti ſpectaculo, æſtimabamus SIDVS noſtrum ſemper maximum, quòd tardiùs nobis ipſo occideres Sole; cùm illum aliquot nobis avehere totum, horæ poſsint, Tu pluribus eguiſti diebus, ne jam aliquid Tui, ſequentibus Te oculis alluceret. Iam quoq́ inſolitis laborabamus votis; nil enim minùs Tibi optabamus, quàm quamlemcunq́ Tui acceſsionem; aut certè ad quotidiana Tui incrementa, Regnum quoq́ noſtrum, Tibi ex reditu olim capiendo, fortuna melior dilataret. Quantus verò ubiq́ obverſabaris omnibus! ubiq́ Te populorum ſtipare gaudia, omnes ſuæ arridere

feli-

felicitati, quæ illos in hunc usque, quâ Te intuerentur, diem reservâsset. Nil se hactenus vidisse inquiebant grandævi etiam senes Tibi simile; timebantque diu Tuo hærere lateri, ne illorum senium, ab omnibus audirent Tuæ adolescentiæ posthaberi; quòd maior in Tuis moribus, quàm in illorum vultu canities reluceret. Ipsi certè tacitâ recedebant sui intus admonitione; & si veteranos dierum Aesones quæcunque recoqueret Medea, nunquam evasuros, quales Te festinata Virtus Tua exhibebat. Iam & ipsa suis Iuventus plaudere annis, quæ, in Te, senum reverentiam occupâbat. Vbique enim, quemadmodum non ulli decrepitæ ævo auctoritati, Tibi omnes assurgebant; fatebanturque, si Iuventæ specie, Virtus terras reviseret, non aliâ, quam Tuâ, mortalium venerationi occursuram. Quàcunque incederes, plenus obire plateas populus; omnes, Te unum, inter concursantium millia mirari; nihilque ferre acerbiùs, sibi de Te dici, quàm Te aliunde advenisse, solicito statim illorum dolore, quòd Te rursus essent amissuri. Omnes Te frequenti per vias deducere agmine, venire, notare Tui hospitium, ut ex negotiorum suorum intervallo, iterum Te visuri advenirent. Beneficium ingens populorum afferre desiderijs videbaris, si Te quandoque illis, quas inhabitabas, apertæ ædiũ fenestræ, ostentarent. Omnes Te jã præterituri, vix non in tergum mutare passus, ne non continuò Te suo haberent præ vultu. Ipsa se Vrbium attollere Pergama, velut de hospite certare Iulo; & diductis latè portis Te sibi suspirare. At verò vix non alijs maior, alijs simul eras infelicior, quòd propè esset, ne ædibus cunctis Tua Te excluderet magnitudo, cogererisque sine limine, sine tecto habitare. Haudque aliter Tuo evenisset incommodo, nisi se Tuo, non jam Te comitatura tantùm, publica Mundi Virtus, pectore recepisset. Nunquam tã Grande Par, usquam vel immenso se tendentes ambitu arcus triumphales subiisses. Attamen Tuâ Te Tuis usibus arctabas modestiâ, magnâ Teipsum parte Tibi submovens, ut ubique interesse posses, quo Te no-

væ eruditionis deſideria, quò cunctorũ amor ducebat ſtudiorum. Academiam LOVANIENSEM, omnium Arcem ingeniorum ingreſſus es, ut ſtatim illi præfici poſſes; habereſq; quod illic ipſe doceres, niſi Te veniſſe, ut diſceres, ſimulâſſes. Ex Te patuit, non quemadmodum temporum, in Polonia etiam frigus eſſe mentium;ſed fluere ſemper in animo Caſtalim, Hippocrenen, &ſi Viſtula Vartaq; congelarent. Metiebantut ex Te omnes, non tantùm Polonos bellando fortes, ſed diſputando eſſe; facilèq; ab Aquila noſtra, exteræ noctuam Minervæ ſuperari. Romam adijſti, ut Tuo illic ingenio triumphares. Ipſa, quæ in Capitolium, ad Tui Te locum triumphi, via ducebat; dignum omnibus Veterum laureis, niſi profanas putares,quas ſuo depoſitas ſinu Sacrilegus Iupiter collegiſſet. Ipſe Tiberis non tam fluctu quam lachrymis tumeſcebat, videre Te Gemmam ex Iſtuleo littore, qualem haud unquam in ſuo aſpexiſſet. Alio tamen ex alio,ſeu invidiã ſeu mærorem gurgite abſorbens, in Tui ſe aſpectum, Te pro Roſcijs omnibus Tullijſq; admirans, erigebat. Imò omni incitato vortice allapſus ripis, feriebat Tellurem Romanam, in qua necdum Tibi Tuoq; poſitam ingenio videret ſtatuam. Iam jam altiori tempeſtate ſupra littus abire moliebatur, omnium aliorum, quòd Tua illis necdum adderetur, Poetarum Oratorumq; Coloſſos, eluvione ſuâ everſurus. Aliarum Te quicunq; obvium ſibi haberent Amnes Fluviiq; terrarum,Te èlonginquo conſpicati, ſe levabant ſublimiùs, ut par Tibi profundum mentirentur, ex quo tot ubiq; immenſi ſuadæ Tuæ latices promanarent. Interim fatigato recidentes fluctu, placidè ad Tuos ſe pedes impellebant; quaſi, ut illis parceres, apud Te flagitarent,quòd Tui æmulatione, altiùs quàm irent hactenus,aſſcendiſſent: jam ſe utiq; ceu à flagitio ſibi iratos ſpumare, & pulchro ſe Tuæ teſtimonio ſublimitatis componere, ut appareat, omne ubiq; profundum, vix Tuum attingere veſtigium. Aureus Hiſpaniæ Tagus ſuo coram Te relapſurus fonte timebatur; quòd

cerneret pretiosiorem Eloquentiæ alveum Tuo affluere pectori. Iam retro, quidquid hactenus in littus extulisset, decumano emovebat gurgite, ad se revocans, ne illum puderet diutiùs, non habere, quod Tuæ posset auro Sapientiæ comparare. Hinc erat, quòd quàcunq; incederes, innumera Te mirantium turba circumstaret, omnes foro publicisq; porticibus desertis, à Te, Tui alloquio, pretiosa mercarentur oracula. Nihil putabant opulentius, omnia apud se Emporia, quàm plenissimam omni eruditione Pectoris Tui Gazam explicari. Erat tamen quædam perpetua Tuo seu Scientiæ seu Virtutum Thesauro injuria, nunquam parem sui habere spectatorem; quanquam enim plurimi accurrerent, etiam infinito spectantium numero plures Tuæ erant mentis opes; atq; innumeris alia apud Te spectantibus, innumera alia spectari merebantur. Dicam semel: ubiquè ingens lapsum axe SIDVS colebaris: & velut hoc, ipso sui aspectu, injicit illecebram attonitis, nec numerare pupilla radios potest, in luce illius demersa; illustrari se ipsa videt, nec fulgur illud quamvis scintillâ contractum, nisi immenso splendorum metitur Gazophilacio, ex quo novus semper fulgor vibratus educitur; sic, Tu tantam Tecū seu Eruditionis, seu Virtutum lucem, & si sub insolitæ sipario modestiæ circūferebas, in quam, nec Orbis oculi, aut generis humani admiratio sufficeisset.

Post funestum MICHAELIS Poloniarum Principis excessum, solus Tu, non ullo ambitu, sed omnium calculos, seipsâ occupante Virtute Tuâ, in hoc electus es, qui Aureum ab illius pectore Vellus, juratâ Regnorum consvetudine in Hispaniam reportares. Quantum hoc? pretiosum Regii Cordis ipsius monile, Tuis imponitur manibus; circumfers in via, quod illi supremum ubiquè fuerat ornamentum. Quis Tuo invideat Honori, si illum Mors Tibi cæca prospicit; si vel necato velut Angelo conquirit, quod Tibi deferatur. In quæ non succedere dignus summorum decora hominum, si istud post Michaelem (non aliud & Principis Angelorum nomen

est

est) obtinebas! Quamvis plenum Te Angelicis sciamus dotibus, ANTISTES MERITISSIME, si tamen aliter has nancisci nequires, nova ipsi Olympo, indiceres Tibi exornando certamina, atq; veriorem aliquem ex Immortalibus Genijs, præ Castore Pollucem sortireris; optaretque occumbere Angelus, Tibi, fato thaumaturgo decora sua relicturus. Quas tamen hìc, hoc Legationis susceptæ munere tot obitis à Te Regionum viis, Tibi laudes colligam! Ivisti, & ne solus illo gloriaretur Oriens, alterum Occidenti Chrysostomum intulisti. Si tamen hæc dicenda hominis lingua est, quæ pro ipso etiam Michaele perorabat. Profectò grandior nunquam vox Tua visa, quàm, cùm ipso procul audireris Occidente. Hispaniarum Grandes, Te loquente, minores se reputabant; & tantùm non isto se appellari nomine prohibuerãt, à quo Tu die, illorum Senatu constitisses: tantùm illis primâ Tui mensurâ de suæ majestatis magnitudine decedebat. Ipse LEO Hispanus rugire velut oblitus, te unum audiebat; perpetuo sibi indicto silentio, ne aliquid illi, inter sua confusæ murmura vocis, de Tua excideret. Totus ZAŁVSCIANO adblandiebatur AGNO, totumq; se illi in pulchros amicitiæ usus componebat. Attamen pudebat coram hoc rugire illum posse, cùm huius ore, non terror, non minæ, sed sola se suavissimo gentibus sono mista Clementiæ Innocentia explicaret. Ipsos suos abscondebat ungues, ne isti non similis incederet. Interim specie blandâ, magna insidiantis vota alebat; nihil enim sibi Hispaniarum Leo datâ à Superis optione libentiùs, quam ZAŁVSCIANVM AGNVM rapuisset. Nihil quoq; Tibi jam erat difficilius, quàm persvadere Hispanis ne hunc præeligerent, & si proprium illis aureum attulisses. Ipse pollicebatur Tagus, novo, se, in monile insolitum, Tibi sudaturum auro, quo ZAŁVSCIORVM AGNVM, præ corde suo, Hispania circumferret. Sed quid isti gratiùs, aut ad gloriam ornatiùs erat, quàm ita semper IOANNIS III intimum tenere pectus! ut vel ideo, ille, Regno nostro efferri debuerit, ne ullus propiorem se huius

late-

lateri cordiquè admoveret. Tantus ubiquè Tuo ex vultu, ex ore, moribusquè, Magni ſplendor Legati promicabat, ut Tecum in Hiſpaniam, hoc eſt, ipſam Solis regionem nova ſubintraſse lux videretur. Nonniſi Pulcherrimi inſtar Sideris in occaſu eluxiſti. Ipſe, Te viſo, Titan altum trahere vultu ruborem, quòd necdum illius ſed KORIBVTHIÆ LVNÆ Nuntium ageres. Quàm verò familiares Tibi faceres ubiquè adhuc ſplendores, ſi ad ipſum Solis cubile admiſsus es! Totam Tibi, Hiſpaniæ Phœbus, recludebat Regiam, illâ Te invitans, ne adhuc illius obambulans regione, præ illo, Te cunctis placere contingeret. Iam omnes Poloniam, Te præſente, ritu Phænicenſium, velut Orientem reſpicere, grandiuſve quidpiam de Viſtula quàm de Iberio mari ſuo cogitare, ex quo, tam ingens illis lux tecum promanâſset. Sol ipſe, quotidie ſolitò citiùs nubibus erumpere, prævenire Phoſphorum; rurſus exire tardiùs Cælo, ſuumq; revehi in pelagus, ne Tu, in ipſo illius regno, novus præ illo Titan legereris. Semper pulchriùs repexos Thetydi, efferre radios, totâque vultum comere ſerenitate, nequid minùs apud illum, quam in Tua facie reluceret. Omnibus ſemper obſtabat à fronte nebulis, ne ſi qui vultum Tuum ſemper placidum, nullo temeratum nubilo aſpicerent, illius ubiquè ſuffragia mereréris. Iam ipſas Herculis metas Tua attigerat Gloria, jam ad Calpen & Abylam Tuæ legationis vox refracta, Indicum circumſonabat Mare, omneſquè Tibi arrigi Inſulæ, & inter grandes Oceani Balænas, grandiora operum Tuorum natare prodigia. Vix arduum remenſus iter, Reipublicæ receptus, in ipſo Tui amplexu, Tibi * remotas oſtendit Gallias cùm IOANNIS III. Regis electi nuntio adeundas. Quas hìc Tibi vires novo Superûm beneficio auctas accepiſti, ut velut poſtliminio tanti molem negotij exantlares! Ergo cum CLYPEO

a *Attollens humero Famamq; & Fata Nepotum*

Regis, poſt Reges natos Feliciſsimi Bellicoſiſsimi, iviſti, illum Regnis monſtraturus omnibus, quibus illum pro- tegen-

L

* *Cæleſtiũ Natura sẽper in motu eſt. Aſpice SIDERA mundum illuſtrantia, nullũ illorũ perſtat; labitur aſſiduè, & locum ex loco mutat.* Sen. Conſ. ad Helv. c. 6

a Æneid. 7.

tegendis parem, ipso demissum Cœlo Polonia accepisset. Novus Sanctioris præ Romano Poloni Numæ Salius videri poteras, si cum hoc Ancili, tua solum exultassent gaudia, & non ubiq; Provinciarum Vrbium Regionum illi festivas exilire acclamationes coegisses. Vbicunq; adesses, explicabas ingens ferri Volumen, & scriptos in eo, Victore Ense triumphos, quorum ne pars quidem toto Ajacis vel Achillis Scuto posset exarari, numero, omne illorum spatium superante. Iam Te ipsa comitari metuebat Fama, hâc territa Ægide; jam & Tubam posuerat, ne aliquo provocare bello videretur. Quanquam præibat Tibi, amotum ori portans Lituum, quòd nunquam vocaliùs, quàm à Tuo Ore, TER MAXIMI REGIS Nomen resonaret. Vix Galliarum steteras finibus, quanti Tibi inchoari plausus! non læti tantum Incolæ, sed inusitatâ humanitatis æmulatione, Sequana, quà hospes illibatus consisteres, totam abluere Lutetiam; ipsa Tibi assurgere Lilia, velut eripere se humo, Tibi Hortensio nostro coronando. Tu interim cùm IOANNEM III, Omnes Regum Optimorum, immo Immortalium Numinum Gratias loquebaris. Mars Gallicus se in tersissimo illius apud Te Clypei speculo mirabatur, atq; ab illo sibi horridiores in bella vultus, majores conflictui minas evibrari. Cùm verò ab hoc in Te revocaret obtutum, bis se, & Regis Poloniarum armis, & Tuâ victum eloquentiâ fatebatur. Iam ergo, quo ita & Tua & Principis nostri eluxerat Gloria, poteras inter inscripta Regio illius Clypeo & Tu SIDVS aliquod numerari. Illa utriusq; Legationis Tuæ expeditione exegeras, in quæ, vel Pyrrhi Cyneas, vel Agamemnonis Nestor defecisset; tamen maximas inter curas, hanc non deponebas unam, ut nostra iterum emolumenta Tui fatigatione lucrareris. Quanquam neminem jam, priùs nostra convenire commoda, ubi, si nobis planè exciderunt attollenda, vel nos per longinqua terrarum, fugientia, iterum colligenda sunt. Statim Te quovis, publico impellit bono, *Nescia Vir-*

tus

tus stare loco;[a] Sidusq; erraticum dici posses, si quando tot decurrendo Terrarum Oras, in nostros errare usus potuisses. Velut tu primus Viennensem publici tubam periculi, clangentemq; metu Aquilam Austriacam audivisses, à BRANDEBVRGICO MARCHIONE, præsentissimis subsidiis tuis, lapsuram Rem Christianam erexisti. Planè tunc Mercurius quidam credi poteras, si quemadmodum ille Angues & venena Scipione tuo, non afflictæ remedia Viennæ, languescentiq; sanitatem Europæ attulisses. Sine talaribus etiam alis, omni ubiq; passu tuo, in omnium amorem involabas. Vix tu illum Prussiæ Martem adieras, simul pulsata, tuo Scipione, Ærarium illius cum Armamentario reclusisti, atq; isto bis majora, quàm optabamus auxilia armorum, illo in sex Menses, suorum sumptuum annonam condicto militi eduxisti. Et erat illud simile prodigio, adeò ad Sacræ in Proceribus Infulatis aspectum Purpuræ semper efferatum, te viso, re ipsâ non simulatione tantùm, se tibi in cuncta facilem præbuisse. Sanè videbaris tu illud ab * Aquilæ Brandeburgicæ pectore rapuisse Sceptrum, quòd tunc illi quidquid velles imperares. Aut tuum illi Caduceum omni opposueras vecte fortiorem, ne ullum, tam manifestæ in te, Fidei, Religioni, ex illo, se, huius odium panderet. Ergo iam in ipso Aulæ illius Palatio, feliciùs, quàm illo Tarqvinii apud Gabios, papaverum colla, tuo Triumphali Nuntii baculo Capita Turcarum Scytharumq; decidebant. Iam in totam Lauri vel Palmæ arborem effronduerat; unde illum * Strigoniensis, Setinensis victoriæ ramum defregimus. Quàm tibi Germaniam, Europam, insolito tunc obstrinxisti beneficio! Tu, eripiendo Turcico Paridi,[b] Aureo Pomo, tot fortissimi militis manus advocâsti. Tu illâ Mercurii Virgâ, altè nostras sopivisti calamitates, demortuasq; Austriæ Spes ex profundæ sepulcho stragis, & planè ex Orco, atq; ipsis ab Inferis suscitâsti. Graviùs, quàm Stygium Clavâ suâ Hercules, tu Scipione tuo Othomanicos Cerberos terruisti. Tot ergo per lu-

** Stemma Aquilæ pectori Sceptrum præfixum gestans.*

** Milites hi strenuè utramq; adjuverunt.*

a Lucan: b *Vngaria aureum pomum appellata.*

ſtratis non minùs tuo quàm noſtrorum ubiq; deductorum tecum itinere commodorum Regionibus, a *pars mundi tibi nulla vacat.* In Hiſpania, Luſitania, Gallia, & hoc quoq; Septemtrionis receſſu, quidni Orbem integrum, hâc non unâ ampliſsimæ Legationis tuæ Provinciâ metiaris! Vt præ aliis in Te congeſtis aliunde laudum muneribus, ipſa Europa videatur, aut ſuo Tauro ademptam, ZALVSCIANO contuliſſe AGNO, aut in hoc, illam ſuorum b Coronam florum geminâſſe. Nil nobis minùs, quàm quidquid totâ Europâ, à Tuo bene olet vernatq; ingenio; ita omnibus aſſveviſti illius linguis, ut cùm nullam non intelligas, diſertiùs adhuc, quàm, quibus illius Regionibus propriæ ſunt, Tu loquaris alienis. O ſanè immenſum hoc Os Pectusq; Tuum! quantum in illo Regnum Eloquentiæ! cui Gallias, Belgium, Italiam, Germaniam, Hiſpanias toto cùm Latio adjeciſti! ut tam multis reſpondere poſsis, quàm multi Te tot diverſarum alloqui nationum; atq; ab eodem ore Tuo Sequana Scaldis Moſa Tagus & Tiberis fundantur; ſi non adhuc feliciùs latiùsq; exundant, cùm, per Te, Viſtulæ influxerunt. Attamen LEGATORVM Facundiſsime atq; Feliciſsime, quodſi Mercurius quodam ſuo c TEMPERABAT ASTRA GALERO, quæ ex illius profulgebant Capite, ne mortalem oculum toto ſui aſpectûs ſplendore fatigaret, aut extingueret; in Tuo quoq; habet quòd obnubat Honor; iam retegentem tantos Aſpectum Tuum fulgores ferre non poſſumus: ut nihil Tibi enixiùs quam GALERVM voveamus.

Quo paginæ ſpatio immenſas Tuas includam Virtutes! non illas omnes, par mundo volumen complectatur. Deputatus Tribunalis Regni Arbiter, Tu Probatiſsimos Thebanorum Judices per omnia referre, niſi quòd Tibi manus non deeſſent, quas pro legibus opponeres; atq; illis appenderes Lancem Iuſtitiæ, ut æquiùs ex Tuis digitis, quàm ex ipſo, à Superis affixa, pendere Zodiaco cerneretur. Immotam ſervabas utrinq; nullus illam vel turbo Potentium, vel aſſentantium

Favo-

a *Lucan* b *Europæ Taurus appingitur floribus redimitus*, c Stat. Theb. l. 1 ver. 315.

Favonii, in aliam, præ hac, partem poterant inclinare; nulla etiam maxima auri pondera deprimere, quia nulla eo pertingere, quò Tu illam elevabas. Poterat tamen eadem, quæ Cœleſtis, Tua videri Statera, quòd ad iſtam ceu ad vicina Sidera, omnium momenta rationum clariſsima apparerent; præterquam, quòd longiùs, Tua ab iniqui Iudicis contagio, quàm illa poſita in cœlo à nobis diſtaret. Non invidebamus Athenienſibus Cuſtodes Legum Dracones, quòd ſciremus, illis ut nomen & mores virulentos fuiſſe; neq; minùs Virtutes oppreſſas, illos adire, quàm maximo appropinquare Colubro timuiſſe. Intelligebamus, illas non poſſe illibatiùs cuſtodiri, quã ab AGNO, cui etiam ungves deeſſent, quo vel læderet aliena, cùm non eriperet. Omnes, quanquam non primus diceres, in Tuam ſententiam, quòd rectiſsima eſſet, ambulabant; atq; ſanctiſsimum ſibi rebantur, etiam hîc *ſequi* A G N V M *quòcunque iret.* Feliciùs, quàm ſuô Ariadna Theſeum, illos ZALVSCIANI Velleris filo, Iuſtitia, ex perplexi Labiryntho Iuris educebat. Nihil Tu omnibus, quàm hoc, voce altiori incutere; Iuſtitiæ

a. *In Templo, quid facit Aurum!*

Omnes à Te auri globi, tormento dantium redibant. Et quamvis in mollem AGNI Tui lanam devolverentur, non ſecùs ab illius pectore, quàm ab adamantina procul Ægide excuſsi recidebant. Aureus eras Iudex, etſi nil magis, quàm aurum fugeres. Antiqvum Poloniæ induxeras Areopagum, niſi Integerrimum maximorum Sidus Iudicum Tuâ æquitate, omnem noſtro Sarmatico intuliſſes lucem, ut illi b Athenienſi, tantummodò umbram reliqueris. Munificentiâ Tuâ ipſè Nilus fluit anguſtior; neq; ſeptem tantùm, ſed innumeris à Te Oſtiis, Tua in omnes beneficia refunduntur. Quod, rariſsimè, & nonniſi ipſo, vel ſupremi honoris ſui, vel majoris triumphi die, Cæſares Romani, Populo aut Militibus largiebantur, quotidie ſuum apud Te omnium Egeſtas habet congiarium. Prævenis Numen ipſum illius Officio, aliorum *ab oculis, lacrymas abſtergendo,* non

M quâcun-

a. Perſ. b *Athenis Tribunal in tenebris.*

quâcunq; , ſed Auri Tui ſpongiâ. Pauciores iam has & DIVA, in Iaroslavienſi Ara, VIRGO volvit; ut hoc ingens quoq; Tuum inter omnia illius miraculum ſit, minùs illam flere hodie, etſi Mortuo Numini parentantem, quòd ita illam Tuæ liberalitatis muneribus recreâſti. Nullus iam dolori illius Campus eſt. Cùm hunc illi, Aureâ Chryſoſtomus mutâſti Cherſoneſo, omnia huc illi gaudia relegâſti. Quòd verò ſedentem aſpicis; Tuis iam illam ferendis beneficiis fatigâſti. Sub nimio illorum pondere aſſurgere non poteſt. Adeo feliciùs, quàm ſuo Philippus aureo aſello, plures Vrbes; Tu omni auro potiore ARIETE Tuo, unam Tibi TVRRIM DAVIDICAM expugnâſti. Ingens hic triumphus Tuus eſt, cui ipſa ceſsit CASTRORVM ACIES ORDINATA. Sciet tamen, quæ deinde Tibi debeat, quod, tam multum de ZALVSCIANO habet AGNO, VELLVS GEDEONIS. Quàm Tibi integrâ Gloriæ Meſſe rependet! cui Tuas donâſti toties. Iam, quo, ita de ſe merenti, cuncta perſolvat, Totum ſuo in ſinu Tibi Numen explicat. Oſtendit etiam, meminiſſe ipſum beneficii Tui, quo, tam multas illi deeſſe Spicas noluiſti, FRVMENTVM ELECTORVM. De majori verò vel cum ARCA FÆDERIS convenire mercedis Tuæ nummo non poteras, quàm, cùm ipſum Tibi, *in quo omnes ſunt Theſauri*, DEVM porrigit. Non hîc Tuam ampliùs fatigabo modeſtiam Tuæ memoriâ Munificentiæ. Grandiores illius, & quæ totius illam Perennitatis oculis ingerant, habere tabulas non potes, quàm ipſos Templorum parietes, quibus, hæc auro Tuo refulget annotata. Vbiq; plùs à Te divitis metalli per delubra ſua poſsidet Religio, quàm Tres Heſperidum, toto aureo horto ſuo colligebant. Ne in Cœlo tantùm, aureâ Sanctitas plateâ incedat, hîc Tuo undiq; occurrit aurò. An poſtquam Sublimiſsimus in Templis ſteriſti Chryſoſtomus, hoc in illorum laqvearibus, Capitis Tui aurum eſt? Novum certè Sidus & Sole ipſo prodigioſius es; ut tecta Templorum, ipſosq; lapides auro mutes, non longo eges An-

norum

norum ſpatio; paucos ſæpe intra dies, hoc in illis opero ſiſsimæ Tuæ radii Munificentiæ elaborant. Vbiq; novas Mortalium devotioni moliris Aras; ubiq; omnem moves lapidem cultui Cælitum altiùs erigendo. Atque tædio quodam non ſtatim de ſingulis grandi ſingulorum Ara merentis, in unam omnes evocâſti. Quàm amplè illos adhuc habitare voles, cùm totum Pantheon, unum nonniſi Altare Tuum ſit. Non jam memoramus ſub unius ala muſcæ integras Mirmecidis quadrigas, non apud Pyrrhum in unius annuli gemma omnes cum Apolline Muſas; poſtquam tam innumera Beatorum agmina quæ ſolum capit Empyreum, intra huius Templi anguſtias incluſiſti. Imò majus adhuc prodigium! ædes has, cùm jam omnes apud ſe Divos clauderent, Te adhuc complecti potuiſſe. Sed gaudete Terræ! nunquam tot hactenus peregrino ab Axe hoſpites aſpexiſtis. Iam noſtras amare noctes cæperunt Cœlicolæ, quòd huc illos Lucerna Agnus deducebat. At cùm Tibi omnis Divorum Phalanx commoratur, necdum Polos reliquit; ubi tam Pulcherrimum Fulgentiſsimumq; Sidus videt, ipſo ſe putat Cœlo habitare. Dubitare verò incipio, quod Te tam inſolitæ Aſtrum Magnitudinis affirmem; cùm enim Supremum Numen ſingulis Divorum a *novam* ſuis præmio laboribus *dare Stellam* pollicitum ſit, omnes ſibi gratulantur, Te unum obtigiſſe.

Hactenus quoq;, quæ Tua adhuc in Tuos vigilantia? quæ revocandis in normam, ſi quà receſſiſſent, ſolicitudo! Vt non tam Tu, quàm Vivus Virtutum Zelus, Tuâ nobis occurrere ſub Infula videatur. Omnis, Diœceſis Tuæ Exedra, ſublimis Tuæ in nos circumſpectionis ſpecula eſt; quam ideo aſcendis, ut ex alto meliùs noſtra proſpicias pericula; evulges flammam, ſi quà, illam vitiorum molitur ſcintilla, Tuarum diſertiſsimarum Cōcionum torrente reſtinguendam. Vix Tu è ſublimi aliquando Te ſupra nos, Tuamq; ſingulis manum geſtibus efferre, ſanctior Iulius; quibuſcunq; flagitiorum cohortibus, b *Tua dextra ſilentia iuſſit*, ut quorum heri tu-

M 2 mul-

a *Dabo illi Stellam novam*. Apoc. b Lucan.

multuabantur in pectore,hodie vel jam pristinam mutâssent sedem, vel jam non adesse sentirentur, quòd se ita recessu quodam composuerant,hesterni adhuc nutûs Tui formidine. Cùm jam animus Tuus æstu ferventioris dictionis incenditur, plura à Tuo quàm Periclis ore tonitrua accendi, volare fulmina; quibus, si vel Cedris immortalibus antiquiora starent Crimina, coguntur procumbere, & elati tamdiu contra Astra fastigij superbiam in pulvere expiare. Dicam: quoties jam, (quanquam id, vix cùm incipias dicere, mereris,) allapso ex Cælestibus Sphæris igne inflammaris, spargis latè per omnes Sancti ardorem Incendij, ut cunctorum corda velut Troja vel Saguntum videantur in favillam abitura. Non potes nobis aliter quàm felix cordium Incendiarius appellari. Si quæ in illo expanderentur vela Improbitati, illicò ad hanc nostri Archimedis flammam, ex luce reflexa, in Tui speculo exempli conflagrarent. In omni Parænesi Tua quandam nobis restauras Pentecosten; omnes Igneam verticibus nostris cernimus imminere Linguam, quam tamen nonnisi Tuam esse scimus; nisi quòd illa se felicitati singulorum multiplicat, & cùm omnes plùs minùsve remotiore spatio Te audiamus, illa tamen propè, incumbit omnium mentibus; flagrat ad fores animi,facemq; præfert, meliori, de Deo, ac Religione arbitrio,sanctiori de Cælo Vitâq; alterâ sensui, capita nostra subituro. Stat suprà sacer fomes, & feliciùs quàm olim Senones Tarpeiam, totam Intellectûs nostri incendit Arcem, ut quanquam accensa Voluntas, multos in dies, uberes ploratus, totumq; lacrymarum fontem advocet, nil minus agat, quàm ne magis ipsa semperq; magis inardescat. Certè nunquam Tua svada nostris tantùm defigitur auribus; altiùs se demittit, quàm ut primo illarum hæreat vestibulo. Nemo est à quo non illi, vel aliter jubente scelerum inurbanitate, intimum penetrale cordis recludatur. Quotiescunq; illo præcipuo PRÆPOSITVRÆ IAROSLAVIENSIS usu, ut probos redderes, quos Tuos scires, illius subires Cathedram

Eccle-

Ecclesiæ non aliter ad Tuum, quàm Chryſoſtomus ad Antiochenum Populum perorabas. Quandam nobis Vrbs illa, ex Tuis concionibus Antiochiam referebat. Nam &ſi illi non Terræ, freqùens cordium motus erat; & quamvis non Incolæ, optatiùs cum ſuis vitia habitaculis concidebant. Parum iſtud: quoddam Tu ſupremum Numen Concionatorum, ceu Iupiter ille, quâ parte mundi lubet, cogit nimbos, aut ſerenitate nebulis repugnat; ſic Tu, quibus velles animis lacrymas nubiloſq; pænitentiæ dies, aut hilaritatem, qui bonis conſcientiæ rationibus ſibi conſtarent, inducebas. Procul Tu illos in dicendo deteſtatus, qui fucos non Apes imitantur, aculeum habentes ſine melle, & quantumvis maximo cum ſono nil uſquam dulce afferentes. Tuis quemadmodum in actionibus, ſic & dictione nil non dulce eſt; ſervat ipſa, ſi quos inſectaris, pæna ſvavitatem. Peſsimos quoſq; oblectas, arguendo. Omnes, Tua facundia, lepores habet; & ſi Græci Romaniq; Oratores roſas comedebant, ut floridiùs perorarent, Tu non flores ſed integros loqueris hortos Oratorios. Ipſe Roſcius, Cicero, Demoſthenes, ſi viverent, optarent in Apes mutari, ut ex illis nova ſibi conderent mella, dulciùs deinde ex Te locuturi. Plus linguæ Tuæ, quàm Hyblæ, quàm Hymetto ineſt dulcedinis. Non invidemus antiquis ſæculum, quo illis,

a. *Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant;*

plùs utriuſq; nobis, cùm Tu diſſeris, ab ore Tuo, unâ horâ, quàm illis integro fluxit ſæculo. Novus ævi noſtri es Ambroſius; ut cùm Apes illius labris ſedulæ mella intulerint, ex Tuis illa poſsint exportare. Non ipſe ita Iupiter, cùm ſatur Nectaris & Ambroſiæ à menſa ſurgit, ut Tu ſemper dulcè loqueris. Sic Tu, aliorum vincis exempla, ſeu quibus dulce loquendi pondus, ſeu minæ, viſq; tonandi, orationem ſuam commendabant Quàm id feliciter experiebamur, quoties ad nos de Patientis in Carne DEI cruciatibus diſſerebas! Cum Te plenæ erga tam ſævè habitum miſerationi permitteres, quàm omnia

 ubi-

a. Ovid. Met.

ubique dolori exclusa, ut totus suo regnaret a ffectu! quàm omnes illi consentire, priusquam nobis venas pertentaret! ut nostrum illi totum cor expansum! ut omnia ab illo, in hoc tenero, expressa! ut quoque plùs quàm sacrâ Veronicæ telâ, totum in hoc Passum Numen pingeretur. Cùm verò ultor immanitati instares, nos etiam ceu dato classico, sub signis Vindictæ stare. Non ita Facundissimus Romanorum Antonius, ex curia Romana, Iulii Cæsaris laceram vulneribus ad circumstantes efferens vestem vehementi ad ultionem instigare concione; ut Tu cùm ab Exedra illud Regis Dolorũ Paludamentũ, hoc est Carnem illius, innumeris detritam flagellis, non scissam sed altis ictibus effossam, ad audientes luculentâ prosequereris parœnesi. Iam toti vel in antecessum ardebamus vindicias, jam Hierosolymam fortiùs ipso Tito Vespasiano, oppugnabamus; jam cum eadem illa Longini hasta iisdemque carnificum flagris & omnibus necis instrumentis irruebamus, vel internecioni daturi gentem sævissimam, vel gravibus verberibus ipsò pulsuri ab Orbe, ne superesset ex illis, qui istud admittere posset. Iam iniqui Iudicis prætorium, ab ipso in stragem moliebamur fundamento; jam Portarum ruinis, platearum aditus impediebamus, ne vel alicubi Illibatissima Sanctitas fædo subigeretur edicto, vel omnibus colenda Templorum Altaribus, ad illud immanissimi Diomedis stabulum duceretur. Ipsum etiam Calvarium montem fossorio dissferebamus opere, ne nostris sè efferret oculis locus, in quo ultimi Ara supplicii, Victimæ illi poneretur. Cùm verò rursus lenior, fluentique in teneritudinem sermone positum in pænis Numen interpellares, continuò illud nobis in horto esse videbatur, ubi Tu illud svavissimo Tuo planèque affatu Angelico solareris. Ipsas exarmabas spinas, & dirissimo illi serto, quot verba proferres, tot flores illigabas, Innocentiæ molliùs coronandæ. Ipsis gravis eras Cruciatibus; & suam Crudelitas clausisset officinam, nisi illam Deus in promendam contra se pænarum supellectilem patere voluisset. O TE SIDVS Nostrum

ſtrum in illa hora tenebrarum afflictiſsimum! & Tu non ferebas tantæ immanitatis ſpectaculo intereſſe; Teq́ue luci Tuæ mæſtum involviſti. Nempe plebeia lucerna erat, quæ tunc lucere conquirendo in necem Deo poſſet; non ipſe Titan, non Cœleſte Aſtrum, quod mallet triſtibus ſubdi umbris, quàm pleno Hieroſolymis ſcelerum theatro affulgere. Vbiq́ue ſibi Tuam Religio Fideſq́ue vocem conducit, pretio ſui ipſius. Quis Te fortiùs pro illa, in Senatu ſuæ arma Dictionis conſeruit, cùm, illam cæcus ille, totâ tamen armatus impietate Andabata Lyſzczynius oppugnaret? Quantum jam virus, Reipublicæ corpus pertentare, niſi, Tu quoq́ue illi, ore Tuo ſanitatem adhalâſſes. Plenum, ſceleſto illi, daturus ab Orbe exilium, aquâ illi non igne interdictum voluiſti. Damnâſti rogo, indignum luce. Infauſtum improbitatis exitum atro notaſti carbone. In Polyphemo illo infami, ipſam Impietati pupillam, flagranti titione exuſsiſti. O hunc illum Tuum, ſimulq́ue Fidei communem triumphum! Nunquam Tui Nominis aurum pulchriùs, quàm his probare flammis potuiſſes. Ita profectò eſt; magis Tuæ æſtu Eloquentiæ, rogus ille, quàm, alio quocunq́ue facem ſubjiciente, accenſus eſt. Plùs, quàm olim Phäëton in mundum toto ſolis curru, Tuâ in illum linguâ, ignium invexisti. Planè DECRETORIVM contra illum ASTRVM effulſisti; ut ſuperbire Hydra illa poſsit, non quocunq́ue, ſed tanti exustum Sideris igne, caput poſuiſſe. Sonabit verò perpetuò in totius memoria Poſteritatis, illa Tua intentata Atheiſmo Paræneſis; ad quam non Hominum tantùm, ſed Plutoniæ aures, tanti conſciæ ſceleris tinnierunt. Ipſam rurſus exusti ſacrilegii movisti favillam, & cinerem illius, ne quà tutum lateret, excuſsiſti. Interea, tantâ totius pectoris incitatione, gravem illam Philippicam inſonabas; tanto, Templi parietibus, vox Tua ictu allabebatur, ut ex omnibus illius ſaxis, ceu ſilicibus, ignem rurſus eduxiſſet cremando flagitio, niſi totum nuper feralis pyræ ſuggestu deflagrâſſet. Is es Præſul Modestiſsime, ut Te nostris quoq; vitiis inclines.

nes. Quoties, velut Tui oblitus culminis, illuc Te demittis, ubi infimis quoq; noſtris reatibus adearis! Quàm ſæpe pro ſacro ipſe ſedes Tribunali! quàm ſeſe apud Te accuſare improbiſsimi! quibus nullum aliàs majus remedium, quàm ſi ſe tales, Tibi fateantur. Ita eſt; quàm pleriſq; adhuc illa Domi ſuæ eſſent, niſi ad Te ſua crimina detuliſſent. Accuſare illa coram Te, fuit illa exſtirpare. Nemini placere poterat, quod ex Te audiiſſet, Tibi diſplicere. Nulli verò licebat Te adeunti, non depromere ſcelus, quòd attinere ſine novo ſcelere non poterat; Tu, quidam etiam vitiorum Magnes, ſtatim omnia undequaq; educis, non tamen ad Te trahis. Peritiſsimus noxarum Incantator, omnes abditiſſimo evocas pectoris latibulo, & cùm Tuis tranſmittuntur auribus, non intra Te, non ampliùs uſquam ſunt. Ad Tuæ enim fundum mentis tam altæ, nunquam pertingere poſſunt, redire quòq; illis non licet, cùm illic à Tuis circumventæ Virtutibus opprimantur. Non hìc ſilebo probatam multis Fortunæ Suæ experientiam; plurimis, Tibi tantùm appropinquâſſe, fuit velut multo leucarum intervallo, à flagitiis ſuis receſsiſſe; quòd monſtra illa è longinquo ſuum timent Domitorem. Quàm multi, ad Tuam, capite inclinato aurem, ceu, vacuæ mercium Naues, ad ditiſsimi Portam affluere Emporii, & hinc demum efferendo, remeare plenæ opum; non cum Cæſaris, ſed cum ipſius, quia noſtram, propriam putat, Numinis fortuna, navigare! Tu omnes, egenos rectefactorum, divites dimittis; cùm, a Te iſtud moniti, deinde in diem plùs Virtuti, quàm multis annis, flagitio conducti laborârunt. Adeo & ZALVSCIANVS, planè AGNVS ſceleribus Orbe efferendis! Quàm verò novum hoc! illa gravia camelorum onera, teneram ferre Pecudem; non laborare ſub turrita Criminum mole, qualem nec maximus Elephantorum, tergo ſuo extuliſſet. Interim totam Babylonem ſibi imponi ſuſtineret, ut illam ſcopulo, hoc eſt, ipſius demitteret Cruci Numinis alliſam, vel non enataturam profundo

ſan-

ſanguinis illius excuteret Erythreo. Verùmtamen ſi in quo *refrixit Charitas*, an alio meliùs quàm istius vellere foveatur! Gratulantur ſibi omnes à quibus in libra, hoc est, malè cœlestia terrenorũ cõparatione expẽdẽtibus receſſerat, rurſus in Ariete Solem Iustitiæ rediiſſe. O Sidus Indulgentiſsimum! quàm multa, Te nobis lucente, ſi omnia infeliciſsimè amiſſa, ſi nos ipſos æternùm non reperiendos invenimus!

Quid, Tua planè Inuſitatæ Eruditionis recenſeam Monumenta! anni me, non dies deficerent, ſingulis evolvendis. Poſſunt & Tui jam Faſti, nobis novam implere Bibliothecam, in quam, ſi perluſtrandis illis, ducamus peregrinis venientes ab oris, monſtremus, quæ ſcire, quæ legenda aliis lucubrare poſsimus Sarmatæ; agnoſcantq́; eſſe Polonis Senatoribus, Epiſcopis pennam, quâ facilè ſupra exterorum evolent ingenia Icarorum. Iam Libri Tui per omnes Bibliopolarũ officinas præcipui ubiq́; poni; cuncti de his, illas primis adire; deſpicere alias, quibus vel innumeri ſine Tuis adeſſe; & putare viles rudeſq́;, quæ necdum procurârunt Tuos, vel non ſtatim, præſtantiſsimum pretio opus poſcentibus, è Tuis aliquod nominarent. Quàm multi Librariorum, cum Tuis doctiſsimis paginis, ſuam ſibi felicitatem expreſſerunt! Cum his, divitias ſuas poſsident; ſingulas illarum vendendo, fortunam emunt. Non ego ſum, qui Divinæ plenos mentis Tuæ, explicem hodie Codices, merearq́; illos tenere præ oculis Famæ; ipſa illis ſedula quotidie incumbit, cuncta perluſtrat, ediſcitq́; narranda ſæculis, ut grandia, inuſitata, ſemper afferat. Quem verò illi præclariſsimo Volumini Tuo, non Polonum tantùm, ſed Reipublicæ totius Catholicæ Senatorem impreſsiſti! Omni folio ipſe videtur ſedere Conſus, cum noſtra conſultare fortuna, ſimul & reſponſa dare Virtutibus. Nihil, ab illis, non utriſq́; opportunum haberi; ſic enim Orationem amas doctam, ut non excludas piam; conſilia nobis fundas, quibus, non tantùm felices efficias, ſed probos. In altero facundiſsimo Codice Tuo,

pulchriùs à Tui luce Ingenii, quàm suis ardet ignibus Hymenæus. Pretiosiùs Tuâ suadâ, quàm auro suo, illius evolvuntur Annuli. Nullam, in omnibus illis, parem Tuæ gemmis Orationis habet, quas tamen tot illi affundis, ut Tibi ab ore non Tullianum aliquod flumen, sed locuples quidam Eloquentiæ Pactolus fluere videatur. Itaq; in pagina quoq; novum instituitur Epithalamium; hoc est, Tuæ Eruditioni ipsa nubit Gloria. Quâcunq; verò ingentia mortuorum celebras funera, atq; super tumulo peroras, ad primam Tuam vocem, plures ab illo, quàm Orphei sepulchro audimus luscinias. Ipse si sepeliretur hodie Isocrates, nollet ullam sepulchro suo Sirenem, si Tu illius cineribus accantares. Mors ipsa accusat, se surdam esse, quòd Te non audiat, cùm jam quodammodo incipiat audire, Tuæ vocis svavitate, illius vincente surditatem. Frustra à nobis inferri tumulo putamus, qui Tuâ animantur dictione. Mori non possunt, ipsis vivunt in exequiis, & jam sepulti resumunt animam; exituri sepulchro, nisi illos, sub marmore, vocis Tuæ gratia, attonitos detineret; aut desperarent, iterum vitâ redeuntes, alteram à Te laudationem promereri. Hactenus enim, quidquid egerant, minus præstitisse agnoscunt, ut à Te laudarentur. Quoscunq; Tu, funebris Orator attollis,

Funere felices, atq; ipsâ morte superbi,

hoc præclarè factis suis, à Cælitibus, lucro, mercedis accedere putant, quòd à Te, illa velint celebrari. Istud Elisii inter se Manes, alii præ aliis majus aliquid se habere jactant, pro quibus, Tu, è mortuali lapide perorâsti. Non, si hæc aliaq; tot felicissima facundiæ Tuæ argumenta ullis Codicibus illigâsses, satis fuerat ad totius memoriam Immortalitatis, illa, ab ore Tuo, coram INVICTISSIMO IOANNE III, & AVGVSTA MARIA CASIMIRA toties protulisse. Illis hæc tam crebrò audientibus, atq;, ut audirent, Te invitantibus, totius mundi aures occupârunt. Certè altiùs, meliùsq; defigi non poterant; nam cùm per has, Regali utriusq; Pectori delaberentur, non illa profundiùs aut

feli-

feliciùs, Apollinis vel Sybillæ alicuius antro demisisses?

Cùm iam plerisque, Pax optaretur periculosior bello, nollent vincere ne pugnarent, convenire vellent hostibus, ut discordarent Europæ; Iam sub Martiali hastâ fædum Pacis vendebatur otium, ipso sangvine, sangvinis eluebantur causæ, multi id unum domi consulere, proponere consulendum in publico, ne Polonia esset misera, ut fieret fædifraga. Iam plerorumque docta, ut opinabantur, spargi folia, quibus svadebatur, poneremus ferrum contra Turcas, iam fatigati cladibus, quasi non obnoxii majoribus futuri, si ferrum poneremus: quid tamdiu Aquila gereret fulmina unguibus, velut Gigantes hi, illam inermem formidaturi essent, quàm etiam fulminantem oppugnabant. Iam ipsi Scytharum præcipui, ad nos missi, abjicere tela manu, tentare pollicitationibus, Vrbes Provinciasque restituere; habituri, de quo gloriarentur, nostra nos non nostris manibus recepisse. Offerebant, quod deinde eriperent. Interim quietis egebant, bello recentiores adfuturi. Iniremus pro Sacro, hostile fædus; Bizantio mitteremus gaudia, Romam lacrymas, cogeremusque Amurathe impio ridente, Sanctissimum Quirinalem flere Senem. Quæ Polonis exprobratio? nolle diu esse fortes; nolle in multos vincere Annos, ut deinde unâ die vinceremur. Iam abstergere multi gladium sangvine hostili, atque ignaviâ imbuere propriâ, simul illum vaginæ inferre, & quæ, illo educto, istam occupaverat, ingentem excludere Gloriam; dimittere amplexu Europam, Romam, Turciæ; iam bibere ex Mæoti Pacis ebrii, sobrio cum vellet Tyranno in casum protrudendi. Tu interim PRÆSVL VIGILANTISSIME, ut unus, nostræ Gloriæ, Romanis solatiis, luctibus Turciæ suffecisti! Tu talibus multorum consiliis potior intervenire, evolvere periculum tegentibus, ex malacia intelligere tempestatem, ex serenitate tanta nebulas fædas præsagire. Tu tantùm

a. -- - -- *Pacis habentia vultum*

detegere discrimina, & placido Euxino, arma nobis in fundo ostentare; dicere: Reipublicæ nostræ Cymbam,

 a Lucan. Ethe-

Ethefiis quibusdam nunc abduci à littore, ut longiùs fuæ distet fecuritati, instante quocunq; Aquilone. Sed parum erat AGNVM ZAŁVSCIANVM, more Romanorum, hoftili emitti Campo, ut ad prælium in Turcas velut novâ indictione provocaret. Refpexifti adhuc SENATORVM OPTIME, quô, eligentibus periculofam Pacem, tuta confuleres bella, & fortia ingereres, ignava tentantibus; vibrâfti eruditifsimum Calamum Tuum, defendiftiq; Martem, qui fe gladio fuo non poterat; oppofuifti impenetrabilem Libelli Tui Clypeum, quem nulla Pacis tela pervaderent. Eluifti Bellonæ Laureas Tuo docto fudore, ut recentium inftar placerent. Oftendifti nobis Calamo Pacem cum Securitate, è longinquo ultra Tentoria, Caftra, jacentia acervo Tela, plenumq; Sangvinis pratum, pofitam, nunquam illam nifi per hæc adituris; aliam nobis hanc, efficta illius fpecie, è propinquo offerri, quòd a *nunquam maior Pacis affulgeat fpes, quàm cùm feriò bellum geritur*; Securitatis Oleas inter Laurus germinare; hanc quoq; Iridem expectandam poft imbres, quibus Gradivus, vulnera, fangvinem pluit. O PRÆSVL SAPIENTISSIME, quàm victoriosè, antequã nos in hostes exercitum, Tu contra nos Tui aciem ingenii instruxisti! Quantum Tuis inerat pondus, quô, aliorum, gravifsima cùm viderentur, confilia oppreſsisti! Nemo erat, qui illam doctifsimam Tuam Martis Apologiam legens, non ipfe pro illo armaretur. Iam induti Togam, quantocyùs Sagum arripere, ne illam induiffe cernerentur; ad fingula quæ afferebas, iratum fibi ipfis agitare Caput, ut excuterent, iam injectam Pacis Oleam; fimulq; veteres Laurus dum refpicerent, indignos fe illis fateri, quas ita excufsiffent facilè, cùm nunc tantum illarum pretium ex Te didiciffent. O hoc Tuum, quanquam paucis breve paginis, ingens triumphis Volumen! Faceffant funesti Annales Caligulæ, in quibus fingulos Civium fuorum dies, annotatis mortibus distingvebat; [b] PVGIONIS unum, GLADII alterum nomine infigniverat, eminùs, cominùsq; collatis vulne-
ribus

a. Fam: Strada. *b. Sveton.*

ribus, omnes domi ſublaturus. Quâ, Tui huius victorioſi ſingulas paginas Libri, Armorum appellatione inſcribamus? Aliquam ex illis Hastæ, Gladii, aliquam majoris etiam Tormenti nomine celebremus. Nullâ enim nō, vel è longiquò peti, vel iā ex propinquo feriri hostis, ab omni verò ingentibus rationum globis validiſsimè oppugnari. Dicam ſimul! Armamentarium Bellonæ nominemus, ex quo nostra rurſus Victoria, omnia ſibi in hostem tela educebat. Quantùm ergo Tibi, Regnum nostrum, quantùm Austria, Italia, Orbisꝗ Europæus deberet! Antequā nos ipſi, hostes nostros, Tua Pacem cum illis, delevit Spongia; antequam iterum, in Tyrâ, Danubio, in Tuo prius Atramento nigrum funus ſubjerunt. Singulis foliis, Threijcii alicuius Regni tumulus tegebatur: imò, cùm hoc Aſiā, Africā alterum, illud totam ſub ſe conderet Americam, adhuc ſupererant, quæ totius ſepulto Turciæ Imperio eſſent ampliora. O hunc Calamum Tuum, quo labentem fulciſti Martem! quô Tua Pietas, meliùs, quàm alii, cum haſta, pro Aris Focisꝗ, ſtetit in excubiis. Hunc ego Calamum felicitatis noſtræ menſuram puto; hôc metior, Vrbibus, Regnis, Populis, Templisꝗ, quidquid deinde magnum ſibi gaudebunt ſupereſſe. Ergo quæcunꝗ adhuc de Turcis Scythisꝗ ſtatuemus, primum de illis Calamus Tuus ſtabit trophæum; ille, tot opima Spolia, omnesꝗ manubias, quas detrahi hoſtibus perſvaſit, ſuſtinebit. Illi omnes Laurus, quas nobis victoribus Bellona porriget, circumponemus; illi omnia triumphalia circumvolvemus ſerpta, quibus, Oleaginam ſecuræ Pacis Coronam ſuperaddemus; ſimulꝗ nostra illum Bella, Pax quoꝗ nostra coronabit. Et quāquam hoc Tuum Laudatiſsimum Opus non Mars ipſe evolviſſet, ſatis erat Invictiſsimo perlustratum IOANNI III placuiſſe, adeò, ut Polonus, Macedonico major Alexander, præ Homeri Iliade, in illo, ſuo ſuppoſito Capiti, ſomnos ſuos caperet triumphales, atꝗ nihil præter hostium Clades, Patriæ Victoriam, Exercituum Laureas, etiam ſomniaret. Verùmtamen

P etiam

etiam ultra Alpes & Pyrenæos Montes, SANCTISSIMI in terris VICARII manus involavit. Quantis, suo Sanctiorem nomine Pontificem, solatiis, illud pertractantem, detinuisti! quoties, omnibus, quæ afferebantur, lætis annuere gestibus! quoties Capite suo sensum totius Orbis illi addicere! semperq; novo vultûs sereno, sua, ex Te animi sui gaudia explicare! Jam jam Te designabat Honori suum observanti Solium, ut Te illius menti deinde reduceret; vix non, tam disertum pro Religione Chrysostomum, Patriarchæ Infulis coronabat. Exspecta tantisper, teneq; obsidem promissorum paginam Romanam; & interim solare merita Tua his laudibus, quæ [a] Tibi huc ex Tiberi profluxerunt. Gaude! Tuam Scientiam ipso Romæ triumphare Capitolio; quæsitumq; in Vaticana Bibliotheca locum, quo hic Tuus Liber præ aliorum codicibus, altiùs poneretur. Parce tamen PRÆSUL MERITISSIME; post tot exterarum Gentium & Romana quoq; Elogia, semel nunc Te Sidus appellare non possumus; sic enim non aliter, quàm ingens Turcis Cometes emicuisti, qui jam vel Regna illorum mutares cladibus, vel Virgam Domini, fasciato tyranno præluceres. Et jam satis de Te à nobis afferebatur, ex quibus Tua æstimatissima Virtus & Sapientia omnibus pretio sit ætatibus. Non Tibi vel è Cœlo quisquam emendum svaserit aurum ignitum, qui Chrysostomus, hoc est, totus Aureus es. Tui quoq; talenta Ingenii, aliorum cuiusvis Eruditionis thesaurum superāt. Quid verò est ANTISTES LABORIOSISSIME quòd quotidie præ nobis citiùs vigiles, tardiùsq; se nox terris, quàm Tu Tuo proripias cubili? Scilicet tunc postes Tuos pulsat Pietas, Sapientia; illis surgis, ut Te remotis solum arbitris conveniant. Esse haud scio, qui assequi possit, quæ tunc, utriusq; Tibi expediuntur negotia; nec nunc scire meremur, quæ aliquando Pietas, ipsa inter Astra nobis edicet, qualia illi, prolixâ tunc devótione ex Sacerrimis, quos ipsa tecum composuit, recitas Fastis; quòdve etiam majora illa sint, ut

nobis

[a] *In literis Eminen: Spada ad Reverend: Apost: Sedis Nuntium, ex sensu illius.*

nobis alibi quàm in ipſo Numinum conſeſſu evulgentur. At verò Sapientia, tunc doctos Tibi ingerit labores; ſuum porrigit Calamum, quo, ex totius Antiquitatis Codicibus eruas, hactenus aliis irreperta. Te, cùm ſoli illi Tuum vacat latus, ſuo ducit gazophylacio; ſeligisq; Tibi, qualibus eruditionis opibus noſtrum ditas ævum. Ita eſt: SENATOR LITERATISSIME, ſurgis ante diem, ſomno, hoc eſt Mortis Fratri infeſtus, ut diutiùs vivas Sapientiæ & cũ hac, Patriæ, Nobis Religioni, Eccleſiæ. Amiſſas aliis, etiam in tenebris quæris literas. Inter umbras, omnem perfectam Scientiæ ducis lineam. Pars reliqua noctis Tuæ, totis noctibus Atticis eruditior eſt. Omnem Cleanthis, Ariſtophanis Lucernam extinguis, Tuam accēdendo. Ipſa, cùm Tuam in Ara Sapientiæ accendis Lampadem, illius luce Aſtra vinci timent. Phoſphorus Eruditorum dici poſſes, ſi poſt Tuas, tunc lucubrationes, plùs adhuc nobis vel ipſo poſſemus è Cælo luminis polliceri. Antequam Sol Terras, Tu illuſtras paginas, ex quibus tanta deinde lux in Sarmatiæ utrumq; Senatum evolvatur. Omnia Tuos refers in Codices, ipſis, quæ tunc necdum Olympo exceſſerunt, Sideribus annotanda. Illa ſcribis, quæ omnes tunc Stellæ, hoc eſt linguæ cœleſtes, in reliqvum diem, medio evulgent Cœlo. Scio tamen PRÆSVL VIGILANTISSIME, quid Te in iſtas ſolicitat excubias! Tuus Te urget vigilare Scientiæ Theſaurus; ut omnibus effodiendis ſufficias, cogeris diem prævenire. Eruditiùs Tu in cubili Tuo, quàm alii ipſo ſomniant Parnaſſo. Nullius cùm poſsis accuſari avaritiæ, tamen nemini Te uno plùs velles eſſe Literarum. Ergo tanta Tua ſciendi aviditas, aliquid Tibi vel ſopito accumulat; Tibi aliquid Hiſtoria, Tibi Pöëſis, Tibi Senatoria Svada dictat aliquid, etiam dormienti. Ideò Te tam citò proripis; ſtringis Calamum, oblivionem oppugnando. Minuis Tuæ onus memoriæ, ut aliis, quæ totus illi rurſus imponet dies, ferendis ſufficiat. Atq; hinc eſt, cùm in publicum exis, ipſo vultu, quendã magnæ præfers nitorẽ Do-

ctrinæ, quòd priùs quàm alii ſymplice lymphâ, Tu jam Muſarum fonte, Tu Caſtali & toto Hippocrene abluaris. Hinc etiam eſt, quòd ſemper Te ipſo plenus, non egeas, quæ aliunde accerſas, ut Sapientior aliis EPISCOPVS, Prudentiorq; SENATOR audiaris.

Non hîc mihi Tuis in Laudibus elabi ſinam, quod ille inter Vates Romanos Conſul, & inter Conſules Romanos, Vates MANILIVS, cùm Taurus in Axe, alteri Caput Aſtro advertiſſe, Leo quoq; ad alterũ attẽtis micare auribus videatur, planè de ZAŁVSCIANO AGNO, non tam Aſtronomico ſuo Volumini, quàm ipſi Zodiaco, non cuicunq; Auguſto, ſed ſupremo Iovi legendum annotavit:

a.
CONSILIUM IPSE SUUM EST ARIES, UT PRINCIPE DIGNUM EST; AUDIT SE. - - - - -

Quot hîc præ me ex Splendidiſsimo hoc AGNI Tui Aſtro affulgentibus mihi radiis, Tua pendere Elogia, jamjam caſura in paginam, & multâ ſe illis luce illiſura!

CONSILIVM IPSE SVVM EST ARIES;
Omnia, ANTISTES FELICISSIME, quæ ſumma, Tua poſsides.
Nihil depromis aliunde;
ipſum quòd affers Tibi, conſilium Tuum eſt.
Non Tu heri didiciſti ex altero, quod hodie loqueris in Senatu.
Tam proprio dives conſilio,
quàm multi olim, ut nobis ſalubriùs conſulerent, nonniſi Tuo eguerunt.
CONSILIVM IPSE SVVM EST ARIES;
Aliquid in præcipuis Tuis mutamus Titulis:
non Tu iam inter Senatores, Præſules, Magnus Regni Fideique Conſul,
ſed ipſum Conſilium es.
Debemus Vobis Superi grâtias!
meliorem hanc, quàm omnibus reperire poſſumus in Fabulis,
nobis recordati Metamorphoſim eſtis!
Hiacynthus in florem literis inſcriptum,
Achilles vocalem in Cygnum, Echo in vocem;
hic, ipſum, mutatus in Conſilium eſt.
Abſtine ſi potes, aliquando, quod optamus, non proferre!
Fruſtra in hoc omne advoces ſilentium;
qui Te tantùm aſpicit, ſuum illi Tecum Conſilium occurrit,
quia Conſilium ipſe es.
Quàm de Te Seneca veriſsimè protulerat:
Eſt, quod ex tacente etiam Viro proficias:
Nam, quemadmodum ſi ſileas, non Te ipſum amittis,
adhuc ſuum omnibus ipſe Conſilium es.
CONSILIVM IPSE SVVM EST;
Multi quantùm noſtris abeſſe volunt commodis, tantũ ſuo abſunt conſilio;

hoc

a. *Manil: lib. 2. Ver: 485.*

hoc emiſſo, alium ſe mentis receſſu Tiberius retinet.
Tua cogitationibus Tuis non recedit ſententia ; totus Tuo ines conſilio,
quia Conſilium ipſe es.
AVDIT SE:
Ita eſt ; Te unum audi, ut cuncta audias.
Tuo aurem Tuam refer Pectori,
intus habet Curiam, intus Senatûsconſultum agitur.
Te audi! Tibi ipſe loquere, quod audias.
Non Tibi Mercurius, non Apollo dicere quidpiam poteſt,
ut illos præ Te audire velis.
Quinimò, ſuſcipe laborem Minerva!
medio Roſtra ſtatue Senatu;
jube defunctos Conſulum omnium Romanorum prodire Manes!
Hunc Cicero, hunc Gracchi, hunc ipſi audiant Catones;
diſcant ex illo, quud nuſquam hactenus audierunt.
Fruſtra tamen hoc illis afferat, quod ſe audiendo, ſolus percipit.
AVDIT SE;
par altera, illi audiendo, auris ubi eſt!
Seipſum ARIES audit inter Aſtra;
non, alia ipſum Sidera audire, digna ſunt.
Seipſum audiens
Sibi Conſul ipſe, ipſe Senatus,
imò Conſilium ipſe ſuum eſt.

Minùs de Te pronuntiaſſem, ſi aliquid, quod ejuſdem Romani Vatis Cœleſtis Aſtronomia, in ZALVSCIANO laudandũ AGNO jam olim ſuſpexerat, omiſiſſem. Nempe, cùm illud Aſtriferæ Corpus Reipublicæ, Humani lineamenta imitetur; parteſq; illius, humanas cùm ſimilitudine, tum æquali collocatione, repræſentent:

a (*Accipe diviſas Hominis per Sidera partes,*
Singulaq; in propriis parentia membra Figuris.
Sic - - - - - *colla,*
Taurus, & in Geminis, æquali brachia ſorte.
Scribuntur connexa humeris, pectuſq; locatum
Sub Cancro eſt laterum Regnum, ſcapulæq; Leonis &c.)
.. ARIES CAPVT eſt ante omnia PRINCEPS
Sortitus. - - -
Aſſurge ARIES ZALVSCIANE Tuæ merito Dignitatis,
Quo nobis in Terris haberi debes,
ſi in Cœlo ipſius loco Capitis es?
Quàm ipſis neceſſarius Aſtris,
ſine quo, illa, quod ſine ipſo quiſquam Capite!
O Totus, Cœleſte CAPVT!
nil in Te minus Cœlo apparet;
ut vel Tibi Luna ipſo in plenilunio
& ipſe ſemper invideat Titan,
cùm ſe nobis ſolâ Capitis ſpecie è Cœlo oſtentat.
Fruſtra ſunt: nihil hâc nobis Tuâ imponent imagine;
ARIES, CAPVT eſt ante omnia PRINCEPS ſortitus.

a. lib. 2. ver: 456.

Quid tamen isthic in Cœlo ipso Verticis agat officio?
Si illi Romanorum Toli, Tarpeium;
huic, Cœleste Capitolium infundatur.
Ne jam quære ampliùs,
quid hôc illic præstet Capitis munere?
quemadmodum Caput in reliquo membrorum agmine,
illum, ipsa Superi inter Astra volunt eminere; satis est.
Testor Sidera!
à nullo, huic ARIETI, metuo periculo;
quodcunq; ingruat, ipsi Cœlo, de suo agitur CAPITE.
Non minùs illum in Olympo Stellæ,
quàm istud, reliquæ in Corpore partes, propugnabunt.
Arbitrare quicunque es,
ZALVSCIANVM AGNVM,
non PRIMVM esse ubique SIDVS;
si in Zodiaco, ipsum Siderum omnium CAPVT est!

Habetne adhuc, quò Tuæ Episcoporum Doctissime ascendat Sapientiæ Panegyris! Arentes Thessaliæ evadamus Terras, & quod olim Labienus adeundum Catoni suaserat, Lybici nos nemoris delubro inferamus. Hîc, præcipua, confluentibus undiq; fundens gentibus Oracula Iupiter, non alio quàm [a] ARIETIS CAPITE visebatur. Stabat alto effultus Altari Ammon, illi supplices sternebantur populi; interim tamen non aliud illius, quàm quale Tuum AGNE ZALVSCIANE Caput est, adorabant. Quid isto in laudem Tuam antiquius! quàm, Ipsum omnium priscorum Numinum Maximum, quo, responsa Regnis ferebat, toti sua edicebat mundo fata, tuū sibi verticem adoptâsse. Quàm mihi monendi sunt, qui hoc Tuum nil humano majus habere putant; an non Divinum, quod, ipsius Iovis Caput est! Sed ne Lybicis tantùm legam arenis, [b] *& mersum pulvere verum*; ipsa utiq; Sapientia Increata, in terris, non alio potiore, se nobis quàm AGNI nomine commendabat. Tu tamen PRÆSVL MODESTISSIME mavis divinos mereri titulos, quàm audire; cùmq; hactenus ex Senatoria Curuli, Patriam ad triumphos, Sacrisq; ex Rostris omnes ad consecutionem Virtutis, & ipsam erudieris Iustitiam, nil certius dicimus, quàm Te in Pulcherrimum, quod totam irradiet æternitatem, Sidus abiisse.

Atq; jam, quòd parum sit, in Tuæ hodie Pompam Dignitatis omnia terris evocari gaudia, ipse Tibi Olym-

a. *Thes. Ling. Lat: Iovi Ammoni simulacrum cum Capite Arietino.* & *Lucan. l. 9. Corniger Ammon.* b. *idem l. 9.*

lympus plausus ingeminet triumphales? Respice terras, quas pridem inter astra positus despicis, illata cælis, erepta Poloniæ Anima, sine qua diu se vivere non arbitrabatur, omnium Principum & Primatum, Virtutibus Tuis & Meritis, jam Superûm quoq; ornamentis, Immortalis Primas Princepsq; ANDREA OLSZOWSKI! lætare in hoc Nostro & quidni nunc magis etiam quam olim Tuo, Præsule, Nomen Tuum atq; cum nomine omnia decora Tua geminata esse. Quamvis jam inter Numina, destinatam Tibi Curulem occupas, cùm hunc respicimus, necdum credimus Te Grande Episcoporum Senatorum Numen, nostro apud nos subsellio excessisse. Tu quoq; non ita Ambrunensis Infulæ honore, quàm sublimiore Infulis sanctimoniâ LAVDATISSIME ANTISTES, gaude Tui præsagii eventu? Nactus tanti apud nos fidem oraculi es, quo, olim, DIVINO CONSILIO AD MAGNA NATVM edixisti. Sed si quondam optatus illius Vates, nunc adhuc nostræ interpres felicitati non recusas invocari, quàm hæc, quantùmq; magna, quæ, incertæ magnitudinis vocabulo involvisti? An Tu ipse ignoras, quàm magna hæc de illo à Te pronuntiata sunt? Verùmtamen, dum nos incertos unius, omnis de illo certos magnitudinis effecisti. Non semel magnus est, de quo ipsi consultant Superi, quàm magnum facturi sint. Quasi nec ipsis statim occurreret, cui illum magnitudini initiarent, consilium ineuntes, ex omnium illarum cumulo seligebant. Audite Cælites! scimus, ad quæ illi quàmq; magna, inspirâstis animum; nimirum ut nonnisi ageret maxima, nec illis proferret minora aut scriberet; ut maximis ubiq; Operum suorum, Consiliorum in Senatu, Concionum in Templis, scriptorum utrisq; doctissimorum prodigiis Voluminum, esset ingens Episcopus, Senator; imò Episcoporum Senatorum Magnum SIDVS. At verò EXCELLENTISSIME ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE, ingredere jam Tuæ Appiam dignitatis; nemo est qui Tibi non occupet viã tui ap-

plausu Honoris, sinceritate gaudii ex Te Præsule, & novo in terris Sidere. Aspice, Avitam* Palatinatûs huius Aquilam expansis alis obvios Tibi tendentem amplexus. Publicæ Tibi Candorem lætitiæ, quamvis atra pingit Ales; sic enim illam, vel hic, quem Tuæ concursus Pompæ attollit, excussus humo pulvis denigrauit; vel Cyclopum, ex Æthna, redux caminis, tantâ Tui huc aviditate aspectûs, ut nec patrio fumum elueret Istui â, festinavit. Quanquam, ne non totius Poloniæ Avem putes, ex una Pectoris lege Litera; totam se Tibi in illa monstrat Poloniam attulisse. Hæc, cùm ex alio non posset, in Aquila, Te, ex cordis, hoc est, Amoris fenestra speculatur. Istius prostantis in suo pectore, literæ Sigillo indicat, quantus Tuo animo, Eruditionis thesaurus abscondatur. Non Tibi tonitruum globos, non trisulca unguibus tela expedit; quòd à Te EPISCOPORVM DOCTISSIME omnes quicunq; Romanum Iovem Gigantes oppugnent, ipsâ à Te Literâ, perimantur. Tantùm Tu illis colloqui, tantùm Divinis Codicibus, sacram intentare Literam, cùm omnes Tibi, ceu fulmine icti procumbere. Aspice! quo illi loco es; unius ejusdemq; hactenus huius indicio, quo Poloniâ, Te Præsulem suum, ad perpetuam Amori suo memoriam, corde ipso annotavit. Cùm plenam Tibi suffragiorum, pectoris urnam sortiretur, hâc quâ potuit unâ hinc emissâ literâ, Te Præsulem suum designavit. Vndecunq; tamen hæc illi impressa sit; seu dum adhuc Vexilla Romanorum ª adversa involat, hanc sibi ex illis incusit; seu dum toto pectore Polonæ Gloriæ Typo incubuit, hæc illi adhæserit. En Tibi hodie ita obvolitat, & ad Te omnis Scientiæ Solem ipsas explorat Literas. Effer, Plocia portas, omnia circumcursantia ut capias gaudia; omnes demolire aditus, quòd nullus sit, quo se, ad Te, Par Tantum penetret, SIGISMVNDVS & ZAŁVSCIVS. Da lætos Fortunæ Tuæ vultus, neq; nunc ipso prodeuntes Olympo respice, dum Te hi præ illis potiores sanctioresq; Gemini subintrabunt. Attolle tamen oculos

*Nigra, pectori literâ P, præfixâ

ª In quibus, S. P. Q. R.

los, vel in hujus unius Tibi Tanti SIDERIS exortu, quod in Infulati Honoris Zodiaco præcipuum, Tuo deinde ſplendebit Horizonte. Puta non omnem Tibi eluxiſſe Diem, cùm jam tanta illius lux, Tuas irradiare Turres cœperit. Ex AGNO, quàm innocuos Tuos, tam planè beatos metire fulgores. Non Tibi non de omni Tuo conſtat ſereno; neq; enim Tibi jam relictum, ut alicujus egena luminis, cogaris illud aliunde implorare; cùm Tua ſibi compertum habeat felicitas,[a] cujus *Civitatis lucerna eſt* AGNUS nec ipſo aliquando *Sole* vel *Lunâ eguiſſe*. Ergo prodigia quoq; temporum menſiumq; æſtima! hoc poſt innumeros, uni huic contigit Majo miraculum, quo, cùm alii nobis tantùm flores, hic, & reliquis Aſtris, & Principibus Aſtrorum Luminaribus Sidus majus, procrearet. Iam venire in pulchri partem laboris, Fama, Honor, & Virtus; & ut omnia Tibi in uno hoc gratulentur, grandioribus Tuæ Fortunæ characteribus, Tuis ubiq; Portis incidere:

Turdum, ſereni partibus ætherû, Te SIDVS addas. Sarb: l. 1. ode 10.

INDIA MITTIT EBVR, TAGVS AVRVM, SVCCINA, BALTHIS,
PACTOLVS GEMMAS; PLOCIA, SIDVS HABE.

a. *Apocal.*